
Veldhuis - Annotationes Criticae ad Suetonium - 1897 -




HARVARDIANA
ACADEMIA IN NOV·ANG
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE RI TAS

Albert A. Howard

H. N. VELDHUIS.

ANNOTATIONES CRITICAE AD SUETONIUM.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE.

LUGDUNI-BATAVORUM,
TYPIS L. VAN NIFTERIK Hf.
MDCCCXCVII.

ANNOTATIONES CRITICAE AD SUETONIUM.

ANNOTATIONES CRITICAE AD SUETONIUM.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

A. C. VREEDE,

LITT. IND. DOCT., IN FACULT. LITT. ET PHILOS. THEOR. PROF.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI
SUBMITTET

HENRICUS NICOLAUS VELDHUIS,

EX OPPIDO WIJE,

DIE XVII MENSIS FEBRUARII, A. MDCCCXCVII, HORA III.

LUGDUNI-BATAVORUM,
TYPIS L. VAN NIFTERIK HF.
MDCCCXCVII.

PRAEFATIO.

Saepenumero mihi, scriptoris paulo vetustioris in republica litterarum casus mente volventi, cum viderem eosdem tunc a doctis viris laudatos, pro exemplaribus habitos et omnium in ore fuisse, tunc neglectos, a criticis exigua cum laude saepe gravi cum reprehensione esse memoratos, paucos admodum per continuas temporum vicissitudines immotos pharorum instar super oceanum clarescere, visi sunt scriptores et poëtae tanquam maris accessus et recessus perpetuis quibusdam vicibus lege naturae esse subjecti. Quod certe recentioribus quoque in poëtis apparet; — quis v.g. non obstupescens legerit quam vili pretio Milton celeberrimum suum Paradise Lost editori vendiderit? e nostratibus autem quis nescit Vondelium nostrum per satis longum tempus parum in honore fuisse, donec hoc tandem saeculo a viris emunctae naris et auctoritatis magnae iterum laudibus est cumulatus? — at Graecos Latinosque scriptores ubi consideraveris, quo plura per saecula fortunae ut ita dicam casibus objecti fuerunt, eo

clarius litterarum gloriae inconstantiam ostendent. Quotusquisque enim est — vix unus vel alter ob oculos versatur — qui cum primum in lucem editus est, statim ab aequalibus cum gaudio et laude exceptus, postea semper eundem honoris gradum tenuerit? Plures contra vel omnes modo studiose pervolutati, descripti et junioribus ut exemplar propositi sunt, ita ut summo in fastigio essent, modo ob defectus nonnullos graviter increpati et honore dejecti, pulvere obvoluti in bibliotheae cujusdam latebris latebant. Quae inconstantia magna ex parte profecto temporum varietate explicatur, cum interdum, ob motus civiles et barbarorum dominationem, litterarum studia marcescerent, interdum, humanitatis laetiore luce fulgente, disciplinae et artes passim ubertim excrescerent Multum quoque tribuendum est hominum multiplici et variae naturae, quae pro alio tempore, coelo, humanitatis gradu alios poscit scriptores, aliam quaerit viam intimos suos animi sensus exprimendi. Quibus nos nos casibus subtrahere fato quodam prohibemur; non enim vi regi se patiuntur, quod docemur proverbio: de gustibus non est disputandum.

Cum autem Suetonio Tranquillo operam darem ejusque famae inconstantiam per longam saeculorum seriem observarem saepius illa cogitatio, quam de aliis antea habueram, in memoriam recurrebat. Etenim fortuna ejus decursu temporis valde varia fuit.

Suetonius eo tempore quo vixit magna fama fruebatur. Uberrima ejus doctrina, quam ut vir grammaticus puro et eleganti sermone tradebat, omnium aequalium admirationem movit. Quare Plinio minori amicus et fere familiaris

erat, a quo etiam imperatori Trajano commendabatur.

Defuncto vero Plinio in Septicii Clari praefecti praetorio amicitiam et tutelam transiit, quo auctore regnante Hadriano etiam epistularum magister factus est. Clarissimum litterarum lumen, alter Varro ea aetate visus est.

At jam paucis annis post, cum antiquitatis studiosi Catonem Ciceroni, Ennium Virgilio praeferrent, a quibus studiis Suetonius erat alienus, gloria illa obscurari et evanescere coepit. Opera Tranquilli non ea qua ante laude nominantur, imo raro de iis aliquid audimus. Aulus Gellius bis tantum, Macrobius nusquam ejus mentionem fecit.

Post illud autem intervallum, quod Antoninorum fere regno occupatur, saeculo tertio studia Suetoniana, quae refrixerant, reviviscunt et excitata viguerunt usque in medium aevum. Ita S. Hieronymus, clarissimum illud saeculi quarti lumen, cum scriberet librum suum „de illustribus viris ab apostolis usque ad nostram aetatem" Suetonium elegit quem potissimum imitaretur, „ut quod ille in enumerandis gentilium litterarum viris" fecerat, ipse faceret in Christianis. Atque idem in praefatione ad chronicon Eusebi testatur se multa de Tranquillo et ceteris illustribus historicis curiosissime excerpsisse. Ut antem Hieronymus sic plurimi alii. Exstat longus ordo, qui incipit a Venerabili Beda et per totum fere medium aevum continuatur, eorum qui Suetonii libros „de rerum naturis" imitati simile opus eodem titulo inscriptum chartis mandaverint. Nec raro studio imitandi verum cedere jubebatur. Sic Eginhard ille, qui anno 830 Caroli Magni vitam conscripsit, tam studiose Suetonii vestigia pressit, ut interdum sententias integras ab

eo mutuans regi Carolo attribuat quae de duodecim Caesaribus antea erant praedicata.

At medii aevi tempore, licet regnante Carolo Magno litterarum studia floruerint, generatim tamen ut aliorum scriptorum sic neque Suetonii opera assidue legebantur. Pii viri intra monasterii parietes mssos descripserunt, interdum ad eorum exemplar chronicon aliquod vel commentationem composuere; pauca tamen in Occidente talium operum vestigia, etiamsi cuncta complectaris, supersunt. Contra in Oriente apud Byzantinos Τράγκυλλος studiose legebatur, Graece prostabat et magno in honore erat.

Hic quispiam dixerit: sint ista vera, pro Suetonio non valebunt. Qui enim eo tempore de quo sermo est litteras colebant, grammaticis rhetoribusve dediti vel excerpendi et imitandi studio abrepti, omnium, qui ante vixerant, Graecorum Latinorumque scriptorum caeco amore inflammati, non ipsi cum fide ac diligentia judicavere. In magistrorum verba jurabant, cum ipsi non ea doctrina essent instructi ut de scriptoris genere scribendi et ingenii dotibus sententiam ferrent. Quis mihi Suetonium eligat, quem in conscribendis vitis regum potissimum imitatur? Vide ejus de vitis Caesarum libros. Quae maxima fuerant: reipublicae administratio, provinciae sensim et sine sensu in regnum adscitae, imperium propagatum, instituta et leges mutatae, nonnisi obiter et raro commemorantur. Pro illis cognomina et maledicta, joci et lusus, aulae rumores, minutissimarum rerum longo ordine enumeratio, in quibus nulla fere nisi vitiorum et virtutum separatio habetur. Nec solum rem Romanam sed ne Caesares quidem descripsit. Sume mihi vitam Neronis.

Quis intellexerit quomodo Nero factus sit libidinosus tyrannus? Quid dicitur de Burri et Senecae potentia, de Agrippinae ambitione, de bellis quae Corbulo gessit, quae omnia Tacitus magnifice et graviter exposuit? Nusquam miser iste scriptor in moribus depingendis via et ratione procedit, nunquam nativam indolem, causas depravationis ordine narrat. Nullius vitae nitidam et lucidam imaginem expressit, ut uno in conspectu totum hominem videas. Tantum abest ut unum quid totum ponator ut nonnisi pannorum tristem acervum praebuerit. Adde quod rei chronologicae omnino negligens cuncta facta susque deque conjecerit, ut nemo vitam Neronis legens intelligat utrum Nero initio regni an postea matrem occiderit, quod tamen ad judicandum de imperatoris indole multum refert. Sic nostra aetate multi fortasse judicaverint, nescio an vere. Constat certo id quod initio objiciebatur: ex medio aevo praeter excerptiones et imitationes pauca superesse eius vestigia. Litterarum studia non adeo ut hac aetate erant communia sed paucis viris iisque non ita doctis propria. Quid vero severus ille censor responderit viris certo antiquitatis copiosissima doctrina imbutis et plurima lectione politis, qui Suetonio maximos honores habuerint? Postquam enim, Orientali regno everso Byzantia capta, Italia facta est sedes litterarum, unde per totam Europam ab humanistis qui dicuntur thesauri antiquitatis sunt divulgati, cum in alios scriptores tum in Suetonium denuo incubuerunt viri docti. Mssi studiose legebantur et typographia inventa longa series editionum, quae ab anno 1470 incipit, ex officinis processit. Quae vulgo illustrissimo cuidam principi dedicatae et praefatione munitae erant, in

qua Tranquilli laudes in coelum tollebantur. Atque ita factum est ut qui antea parum erat notus nunc per totam Italiam et Europam celebratus sit. Quae laudes num fortasse nimiae fuerint alii dijudicent. Equidem nostrae aetatis hominem legentem nonnullas ex illis laudationibus interdum vix a risu abstinere credo, v.g. cum legerit apud Guidonem Morilonem in praefatione ad editionem Parisiensem Suetonium „gravitate ac majestate incedere", vel „in hoc stili genere primas tenere partes." De Tacito vel de Livio sermonem esse credideris; Suetonii cui in mentem venerit? Ipse etiam Oudendorpius in sua praefatione ad editionem anni 1751, etsi agnoscat Tranquillum „perpaucis erroribus prae humanae indolis suique aevi vitio" obnoxium esse, vocat tamen eum „scriptorem ... quo praestantiorem, summaeque potestatis et excelsi animi virorum patrocinio digniorem, antiqua vix protulit Roma."

Quis non ergo in scriptorem hunc id quod initio praefabar convenire videt? Ab aequalibus cum gaudio et honore exceptus, aetatibus proxime sequentibus frigus expertus, iterum quarto saeculo et postea in honore habitus est. Postquam per longum temporis spatium in Europa parum fuit cognitus ibidem honore praecipuo habetur; nostra demum aetate non eo quo antea honore afficitur. Quis non in continuis his gloriae et fortunae vicissitudinibus eos quos initio dixi maris accessum et recessum agnoverit?

Cujus inconstantiae causae ex iis quae dixi jam patent. Ut enim cujusque aetatis studia a Suetonio fuere aliena vel ei cognata, ut tempora ipsa disciplinis et artibus vel favebant vel nocebant, Suetonii studia floruerunt vel languerunt.

Aliquando etiam, cum antiquae litterae admodum in honore essent, neglecto quidquid parum esset laudabile ad virtutes Suetonii praecipue animos attenderunt. Quas esse eximias jam a priori admittere licet. Fieri enim non potest quin scriptor, qui multis hominum generibus delectationem adtulerit, quem multi viri doctissimi et iudicio puro summis laudibus extulerint, multas easque praeclaras in scribendo dotes ingenii ostenderit. Qui vero ad paucas eheu! Tranquilli operum reliquias animum adverterit mox credo multa in iis egregia et lepide dicta inveniet.

Imprimis, quicunque Suetonium leget admirabitur breve illud et succinctum, quod vere ei proprium esse vindicamus. Omne nimium ut vitiosum est abiectum, omnis excursus vitatus, celeri et firmo gradu scriptor lectorem ducit ad finem ut quam plurima facta, dicta, quaecunque notari potuerint, de Caesaribus percipiat. Nec quisquam ut opinor tam exiguo volumine tot res gestas coarctaverit. Etiam vir ille egregius et litterarum valde peritus adeo brevitatem sectatus est ut flosculos orationis et periodorum rotundum cursum, concinnitas quae dicitur, omnino neglexerit. Dein laudandus est purus et elegans sermo, copia et proprietas verborum, facilitas antiqua verba in usum revocandi et nova ex vita communi inducendi, in universum hoc quod omnes scriptores celebres habent, dicendi quoddam genus proprium.

Ista de elocutione; narrandi autem ratio multis ex partibus est laudanda. Cum enim, ut ex antiquitate imaginem aliquam depromam, historia similis sit judicio isti, quod olim apud Aegyptios de mortuis habebatur, in quo viri graves et incorrupti nulla habita ratione dignitatis de vita et

moribus defuncti severe sententiam ferebant, sic in historiarum scriptore ut laude dignus sit judicis duae praesertim virtutes requiruntur, ut sit certus et candidus. Quas in Suetonio reperiri omnibus qui vitas duodecim Caesarum legerunt in confesso est.

Plurimos enim qui de principum historia ei suppetebant fontes prudenter adiit et ex iis ordine interrogatis maxima cum cura verum deduxit.

Non solum senatusconsulta et acta diurna, scripta aliorum et orationes sed etiam imperatorum ipsorum commentarios, litteras, orationes, leges, diplomata, rationaria imperii, edicta et laudationes prae manibus habuit Praeterea rumores aulae et populares, aulicorum fabulae adsumuntur, diu pensantur et ex cunctis id quod verum vel verisimile videtur saepe post acutam et ingeniosam disputationem constituitur. Rem denique perspectam recte et nude, nihil reticendo vel tegendo incorruptus et severus judex exponit.

Imo severior quam lenior videtur fuisse, quippe qui principum vitia quam apertissime ostenderit. In viro autem aulicis familiari et qui ipse principum servitio erat adstrictus magis etiam id laude dignum Videntur enim mihi imperatores, qui cum Tranquillo vixerunt, cum decessores suos adeo ex vero describi viderent, pluries secum agitasse quid scriptor tam candidus de se judicaturus esset. De iis tamen quod notum est nihil tradidit. Tacere malens quam blandiri morte Domitiani libros de vitis Caesarum clausit.

Ob quam elocutionis brevitatem et puritatem, in narrando fidem ac diligentiam, mirum non est Suetonium saepe a doctis

viris esse laudatum et scriptoribus ut exemplar propositum.

Praeterea ex iis quae hucusque dixi apparet Tranquilli scripta quae supersunt omnibus iis, qui sive historiae sive antiquitatibus quas dicimus student, maximi esse pretii. Fieri enim non potest quin vir rerum publicarum peritissimus, cum de vitis Caesarum scriberet, passim et de historia et de legibus institutisque si non capita absoluta at certe notas pretiosissimas traderet. Quod legenti cuique jam a prima pagina patebit.

Mihi autem, cum in antiquitatum studio continue ad Suetonii opera confugerem — in schola enim frequenter ad testimonium vocabatur, — primo consilium captum est ut de nonnullis locis disputationem criticam instituerem. Saepe enim editionem Rothianam, quae Memmianum praecipue codicem sequitur, cum antiquioribus conferebam. Comparans vero varias lectiones Graevii, Gronovii et aliorum vidensque quid Lipsius, Casaubonus et alia litterarum lumina vel ex manuscriptis restituissent vel prudenter conjecissent, non importunum duxi de locis nonnullis disputationem integram institui. Rothius enim mihi videbatur codici Memmiano nimium confisus aliorum auctoritatem iusto minoris habuisse.

Quare cum jam in eo esset ut ad studiorum finem accedens specimen aliquod inaugurale componerem ad Suetonium animum attendi. Sperabam me ostensurum pluribus locis lectionem in prioribus editionibus receptam Rothianae esse praeferendam. Interdum, etsi „conjecturali arti rarissime indulsi", sive ad explicandum sive ad hanc vel illam lec-

tionem emendandam novum quid afferre conatus sum.

Quod si aliis me doctioribus ansam praebuerit amplioris et solidioris disputationis et sic studiis Suetonianis utile fuerit, mihi quidem erit gratissimum. Tu autem, benevole Lector, num propositum sim assecutus cum indulgentia velim judices.

D. Julius. C 25. Omnem Galliam ...... in provinciae formam redegit, eique in singulos annos stipendii nomine imposuit.

Haec legentes in lacuna apertissima haeremus. Quid quaeso Caesar stipendii nomine imposuit? Unusquisque mensuram tributi excidisse videt.

Post „eique" cod. Vatic. tradit CCCC, nonnulli codices ibi „nomen" vel „nomina" exarata habent. Ad explendam vero lacunam hanc praeter codices imprimis adeundus est Eutropius, qui de Caesaris in Gallia expeditione eadem fere ad litteram quae Suetonius tradens de stipendio imposito haec refert: Galliae autem tributi nomine annuum imperavit sestertium quadringenties.

Quae mensura stipendii quia optime cum numerali Vaticani codicis convenit, non dubitandum esset quid nostro loco esset supplendum, nisi Lipsius, clarissimum rei litterariae lumen, dubium movisset.

Lipsius tributum hoc pro magnitudine et divitiis provinciae lenius putans loco „quadringenties" legendum statuit „quater millies", praeterea Eutropii verba quae supra allata sunt eodem modo censet emendanda. Dubitari profecto non potest quin Caesar avidissimus fuerit pecuniae, Gallia

autem idonea quam ferret et ageret. Solo tamen hoc argumento fretus nihil mutare ausim. Etenim mediocre fortasse tributum imperavit ut exhaustam bello provinciam et recens subjectam clementia et mansuetudine populo Romano devinciret.

Neque auctoritatem codicis Vaticani neglegendam puto. Quare ita censeo legendum: eique sestertium quadringenties in singulos annos stipendii nomine imperavit.

C 45. *Etiam cultu notabilem ferunt: usum enim lato clavo ad manus fimbriato, nec ut unquam aliter quam super eum cingeretur, et quidem fluxiore einctura.*

Quid in hac descriptione verba „super eum" sibi velint, etsi multi interpretatores varias explicationes dederint, non intelligo. Romani super tunicam gerebant togam, cujus partem cingulo vel balteo quodam, ceteram partem brachio sinistro sustinebant. Caesar antem circa corporis curam morosior tunica utebatur laticlavia et cingebatur ita ut quod Macrobius tradit lacinia traheretur. At velim explices quid significent verba „super eum."

Superne tunicam laticlaviam? Apparet additamentum hoc omnino abundare; qui enim cingitur super tunicam cingulum apponit. An super latum clavum, ut latus clavus totus vel ex majore parte cinctura tegeretur? At hic sensus in verbis „super eum" non videtur inesse. Exspectas v. g. Caesarem altius quam alios cinctum fuisse. Fortasse tamen sensum aliquem non ita absurdum extorqueas, si premendo

vocem „eum" interpreteris: ut nunquam togam sumeret nisi super tunicam laticlaviam, ut quando togatus in publicum procederet semper sub toga tunicam laticlaviam gereret? Verbum igitur „cingi" eundem sensum haberet ac „togam sumere".

Vehementer tamen vereor ut unquam verbum cingendi illo sensu occurrat.

Quid autem in verbis traditis lateat, quomodo ex iis sensum commodum et aptum magis paremus non video.

C. 52. Helvius Cinna Tr. Pl. plerisque confessus est habuisse se scriptam paratamque legem, quam Caesar ferre jussisset, cum ipse abesset, uti uxores liberorum quaerendorum causa quas et quot vellet ducere liceret.

Videtur mihi hoc absurdius quam ut credam, Caesaris jussu legem ferendam fuisse, qua ei licebat quot vellet uxores ducere. Si enim Caesar contra morem majorum plures uxores ducere voluisset, non adeo contemptor civilitatis erat ut non potius polygamiam omnibus licere quam sibi soli lege decerneret. Sicut postea Claudius, Agrippinam fratris filiam ducturus, etiam ceteris veniam dedit talium conjugiorum, quae antea incesta habebantur.

A nonnullis ideo propositum est „quas quis et quot vellet etc." quam lectionem, si aliquis codex annueret, libenter reciperem. Haec vero sola est codicum varietas quod Vindobonensis et Med. primus et tertius cum nonnullis deterioribus pro „vellet" tradiderunt „vellent". Quare hanc potius lectionem commendatam volo.

At quominus emendationem illam admittamus obstat auctoritas Dionis, qui L. 44 C. 7 haec habet: *ἀμέλει καὶ γυναιξὶν ὅσαις ἂν ἐθελήσῃ συνεῖναι οἱ ἐτόλμησάν τινες ἐπιτρέψαι, ὅτι πολλαῖς καὶ τότε ἔτι, καίπερ πεντηκοντούτης ὢν, ἐχρῆτο.* Ob quae verba Dionis alii „vellet" retinendum esse putaverunt. Discrepat autem narratio Dionis etiam alia ex parte a rerum statu, qualis a Suetonio exponitur. Apud Tranquillum enim jussu Caesaris lex fertur, Dio vero tradit nonnullos Caesari permittere ausos esse ut plures simul uxores duceret. Non ergo Dionem in hac lectione statuenda e vestigio sequendum credo sed cum codicibus quos nominavi legendum: .... ut uxores liberorum quaerendorum causa quas et quot vellent ducere liceret.

C. 56. *Feruntur et a puero et ab adulescentulo quaedam scripta, ut laudes Herculis etc.*

Locus hic ab antiquis editoribus varie tentatus est; imo jam librarii videntur dum codices describebant in verbis „et a puero" haesisse.

Codex Salmasii tradit: „feruntur et ait vero ab adulescentulo," Hulsianus liber habet: „feruntur et a puero ab adulescentulo." Ad ultimam lectionem quam attuli Rothii verba proxime accedunt. Haec autem lectio „et a puero et ab adulescentulo" mihi quidem maxime probatur. Scriptor, ut ostendat ingenii dotes jam prima juventute in Caesare emicuisse, addit scripta quaedam ejus pueri adhuc et adulescentuli vagari. Haec vox „puero" utrum orta sit ex „vero", quae in aliis codicibus reperitur, an „vero" factum sit ex

„puero" quis dijudicet? Pro „vero" meliores sane codices pugnant. At verisimile est Caesarem jam ante peractam pueritiam quaedam chartis mandasse, inter amicos legisse et pro juvenili ardore edidisse.

Itaque de hoc loco disputationem non instituissem, nisi apud nostratem quendam — Modderman, lectiones Suetonianae p. 45 — aliam longe dissimilem lectionem commendatam vidissem atque in eandem fere conjecturam etiam Reifferscheidium incidisse. In verbis „feruntur et a puero .... quaedam scripta" ambiguitatem inesse a Suetonii dictione alienam Modderman opinatus est; ambiguum enim esse utrum ablativus „a puero" pertineat ad „scripta" an ad „feruntur," vel saltem desiderari nomen ejus a quo dicuntur quaedam a Caesare esse scripta. Ex vocibus „et ait vero" illud nomen restituere conatus Modderman legit: „feruntur et a Q Tuberone ab adulescentulo quaedam scripta."

Ne dicam legenti mihi repetitionem: a .... ab, valde incommodam visam esse, ambiguitas a lectione Rothii videtur omnino abesse. „Feruntur" enim saepe generatim ponitur ut active „dicunt, ferunt etc"; „feruntur" = vagantur, in manibus sunt.

Reifferscheidius etiam nomen aliquod latere suspicans conjecit: „feruntur ut ait Tubero et ab adulescentulo." Quae lectio licet mihi magis quam illa Moddermannii probetur, neutrius tamen causam sat idoneam video. Textus enim a Rothio receptus, cum aptum sensum praebeat et simul quam proxime a mssis recedat, omni ex parte conjecturae quamvis ingeniosae est praeferenda.

C 75 *bestias quoque ad munus populi comparatas contrucidaverat.*

Genitivus „populi" pro genitivo objectivo habetur et ita explicatur: munus populo dandum. Talis autem genitivus objectivus cum indole linguae Latinae pugnat. Dicitur enim „amor Dei" pro „amor in Deum", quia Deus est objectum actionis amandi, etiam „studium reipublicae," quia respublica vel magistratus sunt objectum cui studetur. Non vero dicitur „munus populi" pro „munus populo dandum"; nec magis Latine dicunt „donum filii" pro „donum quod filio tribuitur", quia filius non est objectum actionis dandi.

Quare plerique molestam vocem „populi" tollere volentes scripserunt „ad munus pnblicum", alii vocem „populi" ut falsam deleverunt. Neutrum tamen remedium aptum duxi, quia tertium multo simplicius in promptu est: „ad munus populo comparatas ete." Quam levissimam mutationem jam Oudendorpius in adnotationibus inter alia conamina commendaverat, non tamen ausus est in textum recipere. Cum vero simplicius remedium neque offeratur et vix etiam excogitari possit equidem conjecturam hanc non dubitaverim admittere.

C 77. *Nihil esse rempublicam, appellationem modo sine corpore ac specie.*

Species est externum quid, id quod conspicitur, quare etiam imago in somnis apparens et similitudo rei hac voce designantur. Idem intelligens Ruhnkenius in scholiis suis

adnotant: „Species et corpus sibi opponuntur. Species constabat externis majestatis insignibus, titulis et ornamentis magistratuum. Corpus reipublicae et vis imperii penes unum Caesarem erat." Dixit ergo Caesar: Respublica Romana est appellatio tantum sine corpore ac specie, i. e. sine re et sine externo apparatu.

Quod si revera dixisset profecto mendacium nimis apertum lusisset. Quid? Num tempore Caesaris nihil ex statu liberae reipublicae supererat? Immo externa figura: magistratus, senatus, comitia manserant, cum res ipsa abesset.

Vel interpretantur: respublica generatim i. e. status liberae reipublicae est tantum nomen, non res, et caret externa figura. At si status liberae reipublicae nec usquam exsistit neque ejus imago, quid Caesar de eo loqueretur?

In verbis „et specie" lateat necesse est aliquid simile τῷ „sine corpore." Verbo „specie" autem aliquid oppositum inducitur. Id autem quod requiritur ex verbis traditis facillime restituas si leges non „specie" sed „speciem." Facillime mendum illud in textum irrepere potuisse eo magis intelligimus quod in cod. Vindob. et in Cort. habetur: „et spe." Ex qua mssorum lectione prave intellecta facile „specie" pro „speciem" oriri potuit.

D. Augustus. C 2. Ea gens a Tarquinio Prisco rege inter minores gentis adlecta in senatum, mox a Servio Tullio in patricias traducta.

Ita exaratum est in codice Copesiano et Vindob. 1°. Quibus verbis bis idem enuntiari jam diu abhinc adnota-

tum est. Tarquinius Priscus ad patres veteres novos patres adlegit; recens adlecti vocabantur patres minorum gentium, veteres patres majorum gentium. Utrosque vero patricios fuisse in aperto est, nam patres seu patres familias illa praesertim aetate non alii ac patricii erant. Suetonius nihilominus addit: „postea a Servio Tullio in patricias gentis traducta." De verbis „in senatum" dubitant utrum cum iis que antecedunt an cum sequentibus sint conjungenda.

Nonnulli ea delenda censuerunt.

Codices autem fluctuant. Praeter lectionem supra allatam in codice Memmiano, in duobus Palatinis et Med. pr. habetur: „inter minis gentes," Palatinus tertius tradit: „inter Romanas gentis."

Quae ultima lectio, quia obvium sensum praebet, multis viris doctis est probata. Gens Octaviorum igitur a Tarquinio Prisco est Romana facta, a Servio Tullio est recepta inter patricios.

Restant adhuc verba „in senatum". Lectione „inter Romanas gentis" admissa non possunt pertinere ad ea quae antecedunt; ergo aut sunt jungenda cum consequentibus aut delenda. Inter quae dubius haereo. Quo autem diutius et accuratius locum hunc mente revolvo non videntur mihi verba „in senatum" omnino supervacua esse. De aucto enim numero senatorum et patriciorum jam antiquitus dubium movebatur, quare Suetonius fortasse, ut perspicuitati consuleret, diserte enuntiavit gentem Octaviam ad utrumque honorem esse provectam. Quam ob causam si verba „in senatum" servata cum iis quae sequuntur conjungas, adhuc opus esse videtur particula „et."

Locum hunc ergo sic legerim: Ea gens a Tarquinio Prisco inter Romanas gentis adlecta, in senatum mox a Servio Tullio et in patricias traducta....

Praeterea memoratu dignum mihi videtur quod ad hunc locum Shuckburgh in sua editione „Divus Augustus, Cambridge 1896" adnotavit: „neither of this — adlectio minorum gentium — nor of the subsequent t r a d u c t i o by Servius Tullius have we any knowledge. It seems to have been a later invention. The Octavii known to us in Livy — 28, 36; 29, 13, 36; 30, 2, 24, 36; 31, 3, 11; 34, 45; 35, 25; 36, 16; — are a Plebeian gens, of which the first to hold a curule office was Cn. Octavius, praetor in 205". Quodsi vere omnes Octavii antiquitus Plebeji fuerunt, novum ex hoc loco argumentum deducere licet ad demonstrandum quam ignari Romani ipsi illarum rerum fuerint.

C 17. Remisit tamen hosti judicato necessitudines amicosque omnes, atque inter alios C. Sosium et T. Domitium tunc adhuc consules.

Omnes interpretatores, tam antiqui quam recentiores, consenserunt praenomen Titi aut esse delendum aut mutandum in „Cnaeum". Nunquam ullum fuisse Domitium praenomine Titi Suetonius ipse tradit notissimo loco Nero c 1: „ne praenomina quidem ulla praeterquam Gnaei et Lucii usurparunt" Domitium autem de quo nostro loco agitur fuisse Cnaeum Domitium cum alii tum Oudendorpius doctissima in adnotatione demonstravit. Quare Shuckburgh in sua recentissima editione, etsi profiteatur praecipue Rothianum

textum se esse secutum et historicam partem potissimum tractasse, hoc tamen loco argumentis victus edidit: „Cnaeum Domitium". Quod pro vero habeo. Nemo enim crediderit Suetonium scripsisse „Titum." Praenomen autem omissum esse non est verisimile cum alterius consulis C. Sosii nomen et praenomen tradantur.

C. 27. Quintum Gallum .... fatentem nihil jussit occidi prius oculis ejus sua manu effossis.

Non credibile est Augustum tanta immanitate fuisse ut inimico oculum effoderit. Effodere oculum est telo aliquo acuto oculum eruere. Nonne crudelius hoc quam ut ab Augusto commissum credatur? Codex Memmianus etiam hic tenebras pellit praebendo:

„effusos" ex quo Heinsius conjecit „effuso." Quae mihi vera videtur esse lectio. Effundere oculos certe est locutio sollemnis pro „verberibus excutere" Cfr. Pandect 19 : 2 : 13 ubi legitur: alicui oculum effundere.

C. 28 .... taedio diuturnae valetudinis, cum etiam magistratibus ac senatu domum accitis rationarium imperii tradidit....

Dio Cassius L. 53 C. 30 eandem rem his verbis tradit: *ἠρρώστησεν αὖθις, ὥστε μηδεμίαν ἐλπίδα σωτηρίας σχεῖν· πάντα γοῦν ὡς καὶ τελευτήσων διέθετο, καὶ τάς τε ἀρχὰς τούς τε ἄλλους τοὺς πρώτους καὶ τῶν βουλευτῶν καὶ τῶν ἱππέων ἀθροίσας διάδοχον μὲν οὐδένα ἀπέδειξε.... τῷ μὲν Πίσωνι τάς τε δυνά-*

μεις καὶ τὰς προσόδους τὰς κοινὰς ἐς βιβλίον ἐσγράψας ἔδωκε ....

Apud Dionem ergo Augustus magistratus et ceteros principes cum e senatu tum ex equestri ordine domum convocavit, apud Suetonium non solum magistratus sed et omnem senatum.

Verisimile autem non est Augustum letali morbo oppressum totum senatum — 900 vel 1000 viros — domum accivisse.

Cum ergo e codicibus Suetonii Torrentianus et Cortianus exarata habeant „magistratibus e senatu" hanc lectionem, quae cum narratione Dionis conveniat alteri praeferendam puto.

C. 87. *ponit assiduc et pro stulto baceolum apud pullum pulleiaceum.*

In voce „baceolum" Ruhnkenius haec adnotavit:

„Recte viri docti scribunt „bacelum." Nam *βάκηλος* Graece significat stolidum et inertem v. Hesychium h. v." Vox certo „baceolum" difficilis est explicatu, nec video quomodo ex „bacelus" factum sit „baceolus." Verba autem quae proxime sequuntur in Rothii editione nihil prorsus significant.

In multis codicibus etiam in Memmiano habetur: baceolum et apud pullum pulleiaceum. Cortianus et Vindob. pr. tradunt: .... et pro pullum pulleiaceum. Equidem miror, si his lectionibus conspectis dubitare quis possit de vero sensu et de remedio hujus loci. Facile enim omne incommodum sustuleris si verbis ultimorum codicum cum levis-

sima mutatione receptis ita leges: ponit assidue .... et pro pullo pulleiaceum.

Quam facile in mssis „et pro" = & p abire potuerit in ap = apud, nemo non videt.

C 99. *exacta jocandi licentia diripiendique pomorum et obsoniorum rerumque missilia.*

Ita nonnullis codicibus fretus Rothius edidit. Quod cum legerem statim haesi in accusativo „missilia", posito juxta genitivos „pomorum et obsoniorum". Nota est illa constructio, qua post gerundii genitivum singularem objectum sequitur genitivo plurali. Durum vero legenti mihi videtur ét genitivos ét accusativum subjungere. Oudendorpius, cum in nonnullis mssis reperisset accusativum „missilia", suspicatus est „rerumque similium missilia". Cujus equidem conjecturae rationem sat idoneam invenire non potui. Sane quae attulit exempla: Calig. 18 „missilia variarum rerum", Nero 11 „omnium rerum missilia", Domit 4 „omne genus rerum missilia", ostendunt conjunctionem verborum „rerum similium missilia" a lingua Latina non abhorrere, at molestus accusativus „missilia" manet et offendit.

Denique quomodo verbum „similium" excidere potuerit non video. Nonne multo simplicius est cum antiquis editoribus legere „rerumque missilium"? Cur enim non dixeris „res missiles" pro rebus quae mittuntur absentibus, ut alibi telum missile, ferrum missile etc. Credo igitur legendum esse: .... licentia diripiendique pomorum et obsoniorum rerumque missilium.

Caligula C. 1 *quum Armeniae regem devicisset* ....

Si ad hunc locum contuleris Taciti Ann. Lib. II c. 56 videbis de Armeniae rege a Germanico devicto sermonem esse non posse; Armenii enim cum Germanicus in Oriente esset prorsus regem non habebant. Germanicus autem, ut discordiarum finis esset, iis regem dedit Zenonem. Maxim e ergo verisimilis est conjectura Lipsii pro „devicisset" legentis „dedisset", quam conjecturam etiam Ruhnkenius in suis adnotationibus pro certo habuit.

C. 9 .... *cum post excessum Augusti tumultuantis et in furorem usque praecipites solus haud dubie et conspectu suo flexit.*

Ita Rothius edidit, ut emendaret quod in plerisque mssis legitur: solus haud dubie ex conspectu suo flexit. Non autem mirum est praepositionem „ex", cum omnino abundet, Rothio ansam conjecturae dedisse. Oudendorpius tamen praepositionem servandam statuens locutionem „ex conspectu suo" ita interpretatur: ex eo quod se conspexissent, vel, ut ipsa ejus verba afferam, „In ipsa facie et vultu Caligulae bimuli pueri non inerat ea vel comis severitas vel blanda auctoritas, ut milites suo conspectu flectere potuerit. Sed flexit eos ex sui conspectu prae miseratione et invidia, quum videbant ipsum non solum e castris ablegari, sed et cum matre vehiculo ablatum iri ad Treveros."

Ita Oudendorpius, luculenter sane et eleganter. Attamen, quid praepositio addat non video. „Conspectu suo" signifi-

care vel „ipse conspiciens" vel „ipse conspectus" nemo non ignorat; hoc autem loco intelligi Caesarem a militibus conspectum miserationem excitasse perspicuum est. Quis vero dixerit Latine: „flectere aliquem ex conspectu suo? Insolita prorsus est locutio.

Ideo Rothius legit: solus et conspectu suo. Quod si admittamus sensus est hic: Caligula eos flexit solus, nullius auxilio, idque conspectu suo. Mihi videtur nulla distinctione nec separatione opus esse. Caligula solus milites flexit. Quomodo? Cum ipsum conspicerent. Quare acquiescendum judico lectioni jam in vetustis editionibus receptae: „solus conspectu suo flexit"; qua lectione recte et venuste idem continetur quod apud Tac. Ann. L. I, c. 40 narratur. Milites tumultuantes, cum conspicerent Caligulam, qui Treveros deducebatur, id fieri nolentes ad poenitentiam versi sunt.

C. 12. *Sejano jam tunc suspecto mox et oppresso . . .*

Nemo credo haec verba legens offenditur. Omnia dilucida et recta sunt. Nihilominus, cum verba „jam tunc" e conjectura in textum recepta a verbis traditis multum distent, ad genuinum textum constituendum necesse erit mssos inter se conferre. Med. pr. habet „oste tunc", Med. sec. „hoste tunc", Med. tert. „ne tunc", Memm. cod. „vete"; ceterum vox „tunc" in multis aliis codicibus desideratur. In nonnullis libris legitur „hospite".

Quae autem lectio ex variis illis aptissimum sensum praebeat quislibet credo jam videt. Sunt verba Med. secundi

„hoste tunc". Sejanus tunc erat suspectus hostis, nondum convictus vel condemnatus.

C. 19. *Nam Bajarum medium intervallum ad Puteolanas moles, trium milium et sexcentorum fere passuum spatium, ponte conjunxit.*

Hac in descriptione apertum inesse vitium jam vetusti editores viderunt. Quid enim significat „Bajarum medium intervallum ad Puteolanas moles?" Si, quod vulgo intelligunt, spatium a Bajis usque ad Puteolos, duo obstant:

Primo, intervallum quod est Bajas inter et Puteolos multo longius est quam trium milium passuum. Secundo, inusitate hoc est dictum: Bajarum medium intervallum ad Puteolanas moles pro: medium intervallum a Bajis ad Puteolanas moles.

Accedunt auctoritates aliorum scriptorum. Imprimis autem ratio habenda est Dionis Cassii, qui L. 59 C 17 idem factum narrat, cumque eo ceteri historiographi fere omnes consentiunt:

Οὐδὲ γὰρ μέγα τι ἐνόμιζεν εἶναι ἵππῳ δι' ἠπείρου διελάσαι, διὰ δὲ τῆς θαλάσσης τρόπον τινὰ διιππεῦσαι ἐπεθύμησε, γεφυρώσας τὸ μεταξὺ τῶν τε Πουτεόλων καὶ τῶν Βαύλων.

Solus qui a ceteris discrepat Josephus rem ita narrat velut totus sinus Bajanus i. e. totum spatium a Miseno u. a. Puteolos ponte esset stratum. Cum vero spatium hoc nimis longum videatur auctoritatem Josephi negligere licebit, praesertim quod in emendando Suetonio praecipue Dionem Cassium sequi oportet.

Dio igitur pro Bajis dat Baulos, quod oppidum fere tribus milibus et sexcentis passuum a Puteolis distat.

Neque codices omnino consentiunt; „ad Puteolanas moles", quod apud Rothium legimus, Torrentius jam olim conjecerat pro „Puteolanas moles", quod erat in codicibus. In multis mssis habetur „et Puteolanas moles". Quibus praemissis remedium afferre jam conemur.

Ac mihi quidem simplicissimum videtur quod apud Oudendorpium adnotatum reperio: „Baulorum medium intervallum et Puteolanae molis, trium etc." Nec mirandum videtur, si librarius quis pro nomine sibi ignoto „Baulorum" magis notum „Bajarum" in describendo posuit.

C. 24. *Nec solum chirographa omnium, requisita fraude ac stupro divulgavit etc.*

Disputant inter se interpretatores de voce „requisita". Nonnulli eam pro ablativo singulari habent, quem ablativum ita explicant: postquam fraudem ac stuprum compererat.

At requirere non tam significat comperire, detegere, palam facere, quam investigare. Alterum ad alterum se habet ut invenire ad quaerere. Illam explicationem defendit Oudendorpius. Iis autem locis, quos ad sententiam suam tuendam attulit — v. g. Aug. C. 55, Calig. C. 16 — verbum requirendi multo melius investigandi quam comperiendi verbo redditur. Alii „requisita" pro neutro plurali accipientes interpretantur: chirographa, in quae inquisierat fraude ac stupro, quae investigaverat mentiendo et socios stupris sibi conciliando. Videtur hoc absurdius quam quod admittatur.

Dio Cassius autem L. 59 C. 22, ubi historiam hanc tradit, ita scripsit: τάς τε ἀδελφὰς ἐπὶ τῇ συνουσίᾳ αὐτοῦ ἐς τὰς Ποντίας νήσους κατέθετο, πολλὰ περὶ αὐτῶν καὶ ἀσεβῆ καὶ ἀσελγῆ τῷ συνεδρίῳ γράψας. Ultima verba sic reddo: multo de iis impia et inverecunda ad patres scripsit.

Quo loco collato valde mihi arridet Lipsii conjectura legentis stupra. Caligula scilicet chirographa reorum quae fraude requisierat ac stupra divulgavit. Caligula ἀσεβῆ γράψας divulgavit chirographa, ἀσελγῆ γράψας stupra divulgavit.

C. 25. *Uxorio nomine dignatus est quam enixam.*

Ita ex plerisque codicibus Rothius edidit. In adnotatione tamen critica addidit haec: n o n p r i u s excidisse videtur, secutus Oudendorpium, qui in sua editione adnotarat: An scripsit Suetonius: quam non uxorio nomine dignatus est, nisi enixam, vel: haud ante uxorio nomine dignatus est quam enixam.

Saepe cum hoc loco conferunt Dionis Cassii L. 59 C. 23: Μιλωνίαν Καισωνίαν ἔγημεν, ἣν πρότερον μὲν ἐμοίχευε, τότε δὲ καὶ γαμετὴν ποιήσασθαι ἠθέλησεν, ἐπειδὴ ἐν γαστρὶ ἔσχεν, ἵν' αὐτῷ παιδίον τριακονθήμερον τέκῃ. Nihil vero illa comparatione ostendi potest nisi Dionem aliter hanc rem narrare ac Suetonium. Quid enim Suetonius intelligat ex verbis quae sequuntur: uno atque eodem die etc. perspicuum est.

Codices autem non omnino consentiunt. Quod apud Rothium legimus in plurimis mssis reperitur, at Palatinus pr. habet: Quam omnium uxorio nomine dignatus est enixam. In qua lectione „omnium" aut esse corruptum aut falsum

quis non videt? In aliis certe codicibus deest. Verborum tamen ordo, qui est in Palatino primo, antiquis editoribus causa fuit suspicandi verba haec esse transposita. Quare ét Burmannus ét Oudendorpius ita ediderunt: quam enixam uxorio nomine dignatus est.

Simplex hoc remedium transponendi, quod saepius Suetonio profuit, hoc loco insuper codicibus commendatur, pro vero habeo.

C. 26. *Scaenicis ludis, inter plebem et equitem causam discordiarum serens, decimas maturius dabat, ut equestria ab infimo quoque occuparentur.*

Mirus est Mssorum in hoc loco corrupto consensus. Nam uno regio excepto qui „decurias" habet pro „decimas" omnes eadem verba tradiderunt.

Quid voce „decimas" intelligatur interpretatores effugit. Conferunt nonnulli Galba c. 15 „Liberalitates Neronis non plus decimis concessis, per quinquaginta equites Romanos revocandas curavit." Ibi vero significat nihil aliud ac decimas partes, quae significatio in nostrum locum non quadrat.

Nonnulli quidem suspicabantur hac voce intelligi vectigal aliquod, cujus reditibus tesserae rerum missilium populo dabantur; omnes tamen emendando meliorum sensum parare conati sunt.

Commendanda videtur imprimis conjectura Oudendorpii: tesseras edicto maturius dabat, quam conjecturam ita explicat: tesseras rerum missilium, priusquam edictae erant, populo dabat. Antequam scilicet equites adsunt plebi tes-

serae dividuntur, qui capiendi desiderio loca equitum occupant.

Non autem video, cur plebs, postquam missilia rapuit, etiam per ludos equestria loca occupaverit. Neque per solos equestres gradus tesserae rerum missilium spargebantur. Id factum esse Domit c. 4 semel traditur, sed „quia major pars intra popularia deciderat." Nihil ergo ex hoc loco allato demonstratur.

Quidni, si vox „tesseras" in textum recipienda sit, legamus: tesseras maturius dabat, i. e. tesseras locorum in theatro maturius quam erat mos dabat? Tunicatus qui semper aderat popellus, deficiente equestri ordine, tesseras XIV graduum accipiebat. Equites cum postea venirent loca sua videbant jam occupata.

Sed fortasse gravius quid latet et sentiendum est cum Burmanno, qui elegantem suam et doctrina redundantem notam sic concludit: fateamur potius nobis nondum de hoc loco aliquid certi constare.

C. 26 (infra) ... remotoque ordinario apparatu tabidis feris vilissimos senioque confectos gladiatores, quoque paegniaris patres familiarum notos sed insignis debilitate aliqua corporis objiciebat.

Quicunque haec leget in voce „paegniaris" haerebit.

A Rothio illa vox est commendata pro „pegniaris" quod in codice Memmiano reperitur. In aliis editionibus et codicibus vulgo habetur „pegmaris" vel „pegmares". Pro „tabidis feris" in multis libris legitur „tabidas feras". Quid sit „pegniaris" vel „paegniaris" vel „pegmaris" vel „pygma-

cis" — quod est e conjectura — quis pro certo dijudicet? Pegmaris fingunt esse debilis ex ruina pegmatis vel qualicunque causa, „pygmaces" idem esse quod Graece πυκτομάχοι contendunt. Difficilis profecto est locus, cui ut variis et multis conjecturis opem ferre conati sunt sic non certum remedium afferre potuerunt. Cum enim quod codices servarunt sensu cassum sit interpretatores diducti sunt in vastum campum conjecturarum. Quamquam e multis quae propositae sunt conjecturis nulla est quam admittam. Quod enim pro „pegniaris" legunt „pegmaris" vel „pygmaces" unum verbum obscurum altero tollunt.

Cum vero varias lectiones et conjecturas perpenderem aliud quid mihi in mentem venit. Memineram inter cruenta ejus aetatis spectacula etiam quod dicebatur pegma fuisse. Erat machina quaedam qua servi in altum sublati deinde dejiciebantur. Qua de voce cum diutius cogitarem suspicatus sum esse legendum: tabidis feris vilissimos senioque confectos gladiatores, pegmatibus quoque patres familiarum notos sed insignis debilitate aliqua corporis objiciebat.

C. 34. *De juris quoque consultis, quasi scientiae eorum omnem usum aboliturus, saepe jactavit, se mehercule effecturum ne quid respondere possint praeter eum.*

Ultima verba interpretatores offenderunt. Verbis apud Rothium editis hic sensus elicitur: se — Catilinam facturum ne — jurisconsulti — respondere amplius quid possint praeter

eum — praeter se, ipsum, Caesarem —, i. e. effecturum ut in posterum nihil amplius respondeant quam: sic Caesar voluit.

Primo advertendum, si sensus hic admittatur, valde probari Rutgersii conjecturam „ne qui" pro „ne quid". Qua emendatione sententia multo certe lucidior facta est: se effecturum ne ulli in posterum responsa darent praeter se Caesarem, se esse omne jus, vel ut Ruhnkenii afferam verba, „se effecturum, ut sua responsa, non ICtoram, sint certa juris regula".

Verba autem „praeter eum" a Burmanno, Grutero et aliis, postea a Graevio, Oudendorpio et Gronovio sollicitata, tandem velut immerito suspecta, apud Rothium restituta sunt. Clementia tamen opus est ad ea velut omnino perspicua sine ulla dubitatione transmittenda.

Perspicuum enim est pro „eum" quod ad Caesarem refertur, esse legendum „se". Rutgersius ideo inter alia conamina etiam hoc proposuit „ne qui respondere possint praeter se". Quam lectionem, si alicujus libri auctoritate niteretur, nemo profecto admittere dubitaret. Nunc in alia omnia critici abierunt, pro „eum" afferentes „aequum" vel „verum" vel aliud quid. Inter quae ad verba tradita proxime accedit quod idem Rutgersius defendit: „praeter reum". In posterum cavillationibus non amplius locus erit. Rei tantum ad crimina respondebunt.

Donec igitur melior fortasse codex reperiatur, quo genuinus verborum textus sine ullo dubio restitui possit, cum Rutgersio legendum censeo: se mehercule effecturum nequi respondere possint praeter reum.

C. 39. *In Gallia quoque, cum damnatarum sororum ornamenta et supellectilem et servos atque etiam libertos immensis pretiis vendidisset* . . .

Ad recte intelligendum hunc locum necesse est quae proxime sequuntur subjungere: invitatus lucro, quidquid instrumenti veteris aulae erat ab urbe repetiit etc., deinde Dionis Cassii L. 59 C. 21 conferre. Dio ibi, postquam narravit Caligulam in Galliam profectum esse, ut e divitiis Gallorum et Hispanorum rem faceret, sic pergit: *τοῦτο μὲν γὰρ τούς τε ἔχοντας ἐπὶ πάσῃ προφάσει ἐσύλα, τοῦτο δὲ καὶ δῶρα οἵ τε ἰδιῶται καὶ αἱ πόλεις ἑκοῦσαι δῆθεν μεγάλα αὐτῷ ἦγον. ἄλλους ὡς ἐπιβουλεύοντάς οἱ ἐφόνευεν. καὶ ἦν δημόσιον ἔγκλημα πᾶσί σφισι τὸ πλουτεῖν. καὶ αὐτῶν τὰ κτήματα αὐτὸς πιπράσκων πολλῷ καὶ ἐκ τούτου ἠργυρολόγει. πάντες γὰρ ἠναγκάζοντο παντοίως τε καὶ πολύ γε ὑπὲρ τὴν ἀξίαν ὠνεῖσθαι, δι' ἃ εἴρηκα.* Ac statim addit: *ἀφ' οὗπερ καὶ τὰ τῆς μοναρχίας κειμήλια τὰ κάλλιστα καὶ τιμιώτατα μεταπεμψάμενος ἀπεκήρυξε, τὴν δόξαν τῶν ποτὲ χρησαμένων αὐτοῖς συμπωλῶν σφίσιν κτλ.*

Quia igitur bona sociorum immensis pretiis vendiderat, etiam ornamenta principatus Roma repetita voci praeconis subjecit. Collato quod supra Suetonius tradidit sororum ibi mentio facta statim offendit.

Praeterea, cur ornamenta et supellectilem sororum in Galliam abduceret? Quia scilicet ea Romae vendere non potuit?

Videtur etiam auctio haec facta fuisse, antequam sorores condemnatae sunt. Dio certe postea C. 22 mortem Lepidi et exsilium sororum tradit.

Ne verisimile quidem est bona sororum a Caligula unquam vendita esse. Apud Dionem enim L. 60 c. 4 legimus: — imperator Claudius — etiam eos qui immerito a Caligula in exilium erant missi, cum alios tum Agrippinam et Julium sorores revocavit iisque bona reddidit.

Videtur mihi igitur Suetonius non scripsisse „sororum" sed „sociorum". Neque intelligo cur Rothius eam conjecturam ab Oudendorpio propositam silentio praeterierit. Palmariam eam Ruhnkenius vocavit. Vox „libertos" denique, quae sequitur, in nullo codice reperitur. Memm. habet „liberios", ceteri omnes „liberos". Admissa autem conjectura „sociorum" vox „liberos" etiam praeferenda videtur lectioni „libertos".

> *C.* 41. *Ejusmodi vectigalibus indictis neque propositis, cum per ignorantiam scripturae multa commissa fierent, tandem flagitante populo proposuit quidem legem etc.*

Quid sibi velint verba illa perspicuum est. Lex, de qua supra est actum, non tabulis affixis populo legenda erat proposita; multa ex eo commissa quia accurata legis notitia acquiri non poterat.

Vocem scripturae difficilem esse explicatu omnes consentiunt. Nihil enim significare potest nisi vim, sensum legis, vel verba, quibus lex enuntiata erat. Vereor ut Latine vis, sensus legis hoc verbo scripturae reddatur.

Scriptura = 1o. ipsum scribere vel genus scribendi 2o. etiam scripta. Significatio vero quae hoc loco requiritur non videtur

inesse. Etsi enim conferri potest Suet. de Gramm. 2: „C. Octavius Lampadio Naevii Punicum bellum, quod uno volumine et continenti scriptura expositum divisit in septem libros," ubi vox scripturae etiam sensu textus usurpatur, non idem ibi quod hic intelligitur. Ibi enim dc scriptis tantum i. e. de litteris et vocibus ordine dispositis, hic de ipso quod scriptis enuntiatur sermo est.

Quominus autem nostro loco vox scripturae intacta maneat aliud quid majus etiam obstat. Leges enim, de quibus agitur, nequaquam scriptae erant; ergo scriptura earundem non poterat ignorari.

Restat igitur ut aut cum Burmanno voculam hanc ejiciamus, aut eam ex alia esse corruptam putemus. Quaenam fuerit illa altera vox latet.

Profecto, si „scripturae" ejiciatur, nihil est in sententia quod offendat, nec quicquam desideratur. Lex erat indicta tantum, nondum proposita; quare per ignorantiam multa commissa fiebant. Videtur id omnino Suetonii more dictum, et quodcunque addideris pro luce tenebras induxeris.

Fortasse vox „scripturae" a glossatore, linguae Latinae non ita perito, in margine adscripta postea in textum est recepta.

C. 41. *Ac, ne quod non manubiarum genus experiretur, lupanar in Palatio constituit, distinctisque et instructis pro loci dignitate cellis etc.*

In praefatione Rothii adnotatum est: distinctisque ed.

Basil., discretisque Oudendorpius, districtisque Memm. a prima manu pro distructisque vel destructisque.

Videtur quod Oudendorpius conjecerat „discretisque" esse praeferendum. Si enim hoc loco tantum corruptae voces „distructis vel destructis" etc. offenderent, fas esset dubitare sitne legendum „discretis", an „distinctis". Pluries vero eadem vox „discretae" in mssis in easdem corruptelas abiit.

C. 44. *Commoda emeritae militiae ad sexcentorum milium summam recidit.*

Ita Rothius plerosque mssos secutus edidit; adnotat tamen Lipsium conjecisse: sex milium.

Quam conjecturam verissimam puto atque miror nondum ab editoribus esse admissam. Dio Cassius enim L. 55 c. 23 narrat: *ἐψηφίσθη τοῖς μὲν ἐκ τοῦ δορυφορικοῦ πεντακισχιλίας δραχμάς, ἐπειδὰν ἑκκαίδεκα ἔτη, τοῖς δὲ ἑτέροις τρισχιλίας, ἐπειδὰν εἴκοσι στρατεύσωνται, δίδοσθαι.*

Commoda igitur emeritae militiae ab Augusto constituta fuerunt praetorianorum quinque milia, ceterorum tria milia drachmarum. Legionarii igitur post Augustum 3000 drachmarum, i. e. 12,000 sestertiorum accipiebant.

Ex quo hoc saltem certo certius demonstratur Caligulam praemium illud recidere non potuisse ad sexcenta milia.

Accedit quod, etiamsi Dio Cassius nihil de praemiis veteranorum tradidisset, summa tamen sexcentorum milium major esset quam quae credibilis videretur. Census equester enim erat 400,000 sestertiorum. Quis autem credat omnes veteranos promiscue ad ordinem equestrem fuisse provectos?

C. 49. *Urbem natali suo ingressus est. Intraque quartum mensem periit.*

Capite octavo legitur: C. Caesar natus est pridie Kalendas Septembres. Capite quinquagesimo octavo: Nono Kalendas Februarias dicitur esse interfectus. Ex eo Ryckius et multi alii censuere, cum intra quintum mensem post natalem suum Caligula caede sit interfectus, legendum esse „intra quintum mensem". Quod cur in editionibus non sit receptum mirari certe licet. Profecto, si Tranquillus, suspenso animo et occupato, ipse sibi obloquens scripsisset „intra quartum mensem", cuivis amicorum, imo librariorum vel servorum a manu gratias egisset, qui legens vel describens correxisset.

Non vero credere licet scriptorem alias semper accuratissimum adeo mente lapsum esse:

C. 50. *Creditur potionatus a Caesonia uxore amatorio quidem medicamento, sed quod in furorem verterat.*

Vox „potionatus" merito suspicionem corruptelae dedit; apud solos enim scriptores medii aevi occurrit sensu: dare bibendum v. g. potionare jumentum. Quare in promptu est credere eam a librario ejus aetatis pro alia voce tunc minus vulgari esse insertam.

Nicolaus Heinsius ideo proposuit: potione invitatus, cum Oudendorpius defenderit: potione tentatus. Neutrum tamen mihi probatur ob hoc quod sequitur: amatorio... medica-

mento. Quae autem Oudendorpius attulit exempla v. g. Nero c. 35 „veneno tentare", probant sane conjunctionem verborum „potione tentare" licitam esse; at tentare aliquem potione... amatorio medicamento non magis Latine dicitur quam percutere aliquem telo gladio acuto.

Quidni legas: „Creditur tentatus a Caesonia uxore... amatorio quidem medicamento" etc.? Librarius posterioris aevi, haerens in voce „tentatus" quae ei videbatur eodem sensu quo „potus" usurpata, pro „tentatus" scripsit fortasse „potionatus".

C. 58. *Alii Sabinum, summota per conscios centuriones turba, signum more petisse, et Gajo Jovem dante, Chaeream exclamasse: Accipe ratum.*

Exstat hujus loci emendatio, quae a Rothio est commemorata, „accipe iratum". Lipsius id proposuit. Plerique tamen servare student „ratum" nihilque in ea voce ambiguitatis inesse perhibent. In explicando vero inter se quam longissime distant. Alius „ratum" accipit pro voce gladiatorum, qui cum dimicantes ferro percuterent „ratum" sc. ictum clamarent. Alius vocem ironice sumit: accipe verum Jovem, sc. quo tu dignus es. Nonnulli explicant: accipe ratum id quod tibi do, mortem. Alii aliter. In tanta virorum doctorum de sensu verbi discordia non temere fecisse videtur qui verbum „ratum" sensu valde ambiguo positum esse contendat. Equidem nullam significationem, cui plene adsentiar, in eo invenire possum. Codices autem, cum plerique „ratum" habeant, non tamen omnino consentiunt. Palatinus

secundus et Medicaeus tertius dant „reatum". In margine Vindobonensis secundi adscriptum est „iratum".

Cum ergo voci „ratum" vix ac ne vix quidem sensus idoneus extorqueri possit scribendum puto quod lenissima mutatione eleganter Lipsius proposuit „iratum".

D. Claudius C. 1. Transque Rhenum fossas novi et immensi operis effecit, quae nunc adhuc Drusinae vocantur.

Qui animo attento haee verba leget haerebit ni fallor in voce „novi". Sane Romanis, qui ab urbe condita immensae molis aedificia construxerant, aquas in nostram aetatem duraturas in urbem induxerant, non novum erat Drusum fossas immensi operis effodisse. Fossae autem, de quibus hic sermo est, demonstrantur Isalam et Rhenum inter se conjunxisse; eaedem igitur fuerunt quae etiam nunc patrio sermone fossa Drusina vocatur. Num de iis novum quid et singulare innotuit? Immo id genus opera Romani ubique terrarum perfecerunt. Fossas Drusinas vel ob magnitudinem vel ob artem mirabile quid fuisse nusquam traditum est.

Accedit quod codices non omnino eonsentiunt. Memmianus habet „navi ... operis", de qua locutione merito dubitant sitne Latina. Navi enim dicuntur esse operarii, non vero opus quod exsequuntur navum vocatur. Cfr. v. g. Hor. Ep. 1 : 6 : 20: Navus mane forum et vespertinus pete tectum, Ep. 1 : 18 : 90: Sedatum celeres, agilem navumque remissi — sc. oderunt —, et alibi „navus" occurrit.

Medicaeus primus et tertius et Vindob. primus dant:

magna vi et immensi operis. Quod quidem mihi ex iis quae proposita sunt maxime probatur, imprimis quod haec junctura verborum „magna vi" apud Suetonium et altero loco occurrat. Cfr. Aug. 52: „Dictaturam magna vi obferente populo deprecatus est." Fingamus autem id fuisse scriptum ac negligentia librarii syllabam „ma" omissam. Restabat „navi", quod in codice Memm. est servatum. Insolita illa vox iis qui descripserunt est visa, quare mutabatur in „novi".

C. 2. Diu atque etiam post tutelam receptam alieni arbitrii et sub paedagogo fuit.

Non minorem quam supra interpretes difficultatem experiuntur in defendendis verbis „post tutelam receptam". Perspicuum enim est significari post tutelam finitam, postquam tutela se exemit. Quod qua ratione ex verbis traditis deduci possit non video. Exstat quidem explicatio Torrentii conferentis „post tutelam receptam" cum formula ICsultorum „in suam tutelam venire". Quo auctore „tutelam recipere" significat „aliena tutela liberatum tutelam sui ipsum recipere". Quod idem etiam Ruhnkenius defendit adnotans: post tutelam receptam = post tutelam sui receptam. Profecto, si scriptum esset „post tutelam sui receptam" nemo de sensu verborum dubitaret; quod autem in mssis est servatum: „post tutelam receptam" videtur mihi inusitata prorsus locutio, quae neque aliis locis illustratur neque exemplo allato „in suam tutelam venire" satis defenditur.

Correctio „post tutelam finitam", qui sensus sine dubio

requiritur, nimium a textu tradito recedit, quam cui fidem habeamus. Tollere vocem „receptam" ut omnino super vacuam non ita timerem, modo viderem qua ratione vox rejicienda in textum irrepserit.

Quocunque me verto merae tenebrae. Fortasse a melioribus mssis remedium hujus loci est exspectandum. Verbis traditis certe non acquiescam nec quomodo ex iis verba sententiae convenientia possint fingi video.

C. 4. μὴ προυποκειμένου ἡμῖν, posse eum gerere honores arbitremur necne.

Cum mssi inter se discrepent in tradenda voce „προυποκειμένου", in nonnullis Graeca verba omnino desiderentur, alii habeant προυποκειμένων, alii προυποκείμενον, non dubito quin accusativus neuter singularis sit praeferendus. Notum est apud Graecos scriptores in impersonalibus accusativum absolutum pro genitivo adhiberi v. g. δέον, προσῆκον etc.

C. 4. Tiberium adulescentem ego vero, dum tu aberis, cotidie invitabo ad coenam, ne solus caenet cum suo Sulpicio et Athenodoro.

Apparet Augustum agere de Claudio puero adhuc et omnino aliorum tutelae subjecto. Sulpicius et Athenodorus videntur esse magistri Claudii ab Augusto nominati. Cfr. c. 41 „Historiam in adulescentia, hortante T. Livio, Sulpicio vero Flavo etiam adjuvante, scribere adgressus est". Subjicit (c. 4) Augustus: „Qui vellem diligentius et minus

μετεώρως deligeret sibi aliquem cujus motum et habitum et incessum imitaretur",

„Qui" initio sententiae positum ad personam quae proxime antecedit videtur pertinere. Quare legendum censuerunt: qui — sc. Sulpicius et Athenodorus — vellem diligentius et minus *μετεώρως deligerent* sibi aliquem etc.

Quae lectio etiam ob aliam causam valde laudanda est. Ut enim apud Rothium legitur videtur Augustus improbare quod Claudius semper Sulpicio et Athenodoro utatur, quos scilicet ipse ei magistros apposuit.

Quae vero sequuntur aliquanto longiore disputatione indigent: Misellus ἀτυχεῖ· nam ἐν τοῖς σπουδαίοις, ubi non aberravit ejus animus, satis apparet ἡ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ εὐγένεια.

Ita a Rothio editum est. Sensus eorum verborum est hic ni fallor: Misero Tiberiolo male res procedunt; nam in rebus seriis, ubi animus ejus non aberravit, generosa ejus indoles satis apparet.

Augusto igitur judice, Claudius in rebus alicujus momenti satis insitam vim ingenii ostendit. Quae Augustum scripsisse vehementer dubito. Saepius enim in epistula quae proxime antecedit timorem suum prodit ne Claudius rem quae vires excedat gerat.

Conspiceretur enim et conspectus sine dubio derideretur. Ideo, quando festus dies agitur vel spectacula dantur, removendus est. Etiam dubitat num fortasse ἠλάττωται καὶ βέβλαπται καὶ εἰς τὴν τοῦ σώματος καὶ εἰς τὴν τῆς ψυχῆς ἀρτιότητα Qui ita de homine aliquo judicabat non potuit opinari eundem in rebus alicujus momenti generosi animi dotes ostendere solere.

Lectione autem Rothii collata cum altera Burmanni et Oudendorpii facile perspicitur quae sit praeferenda. Apud utrumque ita legitur: *ἀτυχεῖ πάνυ ἐν τοῖς σπουδαίοις λίαν*; ubi non aberravit etc.

Quod multo melius cum ceteris cohaerere mihi videtur. Misero Tiberiolo male res seriae procedunt nimium valde; ubi vero etc.

Vox autem „*λίαν*" non in omnibus libris reperitur, neque ut obiter moneam si deesset a quoquam desideraretur; quare nonnulli editores eam delerunt. Pro *πάνυ* legitur etiam *λίαν*; apud Memmianum, quem secutus est Rothius, NAM.

Donec ergo melior codex alium textum promat aut legendum censeo cum Burmanno et Oudendorpio, aut cum nonnullis codicibus: *ἀτυχεῖ λίαν · ἐν τοῖς σπουδαίοις*, aut quod parum a librorum textu recedit: *ἀτυχεῖ καὶ μὴν ἐν τοῖς σπουδαίοις λίαν.*

C. 8. *Et quotiens post cibum addormisceret, quod ei fere accidebat.*

Pro „addormisceret", quod hoc tantum loco occurrit, censeo scribendum „obdormisceret", quae est solita vox pro leni et placido somno, qualis scilicet debiles homines praesertim post coenam obrepere solet.

C. 15. *Absentibus secundum praesentes facillime dabat....*

Agnoscitur constructio: dare secundum aliquem. Claudius ergo facillime in judicando praesentibus morem gerebat

absentibus. Varie autem ablativum „absentibus" explicare conati sunt.

Nonnulli eum interpretati sunt quasi similem τῷ „ab absentibus" vel „de absentibus". Merito contra illos Gronovius: Dare aliquo *ἀντὶ τοῦ* ab aliquo vel de aliquo non magis cuiquam veterum in mentem venit quam dare aliquem *ἀντὶ τοῦ* secundum aliquem.

Burmannus aliique „absentibus" sumpserunt pro ablativo absoluto, cujus subjectum omissum esset: si qui, reus, altera pars vel tale quid. Quae explicatio sane verisimilior videtur. Non tamen exempla quae ex Suetonio afferuntur constructionem illam probant. v. Claudius c. 36 „non repertis qui sequerentur exemplum", Nero c. 23 „hortantibus, recedebat", Tib. c. 31 „censente".

In his omnibus enim subjectum omissum ex iis quae proxime antecedunt vel sequuntur facile intelligitur. Loco vero de quo disputamus nusquam de iis qui aberant mentio fit. Immo ignorantia ejusdem subjecti viros Latinae linguae peritissimos in varias interpretationes diduxit.

Tale autem obscurum dicendi genus a pellucida et simplici Suetonii narratione alienum videtur. Recipienda igitur est lectio quam proposuit Gronovius; syllabam *de* censuit excidisse et statuit legendum: De absentibus secundum praesentes facillime dabat.

> *C.* 15. *Equitem quidem Romanum obscenitatis in feminas reum, sed falso et ab impotentibus inimicis conficto crimine ....*

Quo saepius haec legi eo minus acquiescere potui voci

„impotentibus". Quid enim? Erantne inimici non ita potentia florentes? An sui ipsi potentes non erant? Neutram significationem in hunc locum quadrare unusquisque credo concedet.

Cum autem Vindob. primus, qui etiam pluribus aliis locis genuinum textum servavit, praebeat „impetentibus", nullus dubito hanc lectionem recipere. Impetere enim est incessere in aliquem, aggredi aliquem, et apud poetas hujus aetatis: Silium Italicum, Lucanum et Statium non raro reperitur.

Qua voce in textum recepta quislibet sententiam mutatam statim intelliget et nil morans praetermittet.

C. 18. *Detentus quondam medio foro a turba nihil non excogitavit.*

Codices plerique ita ultima verba tradiderunt: nihil non ex eo cogitavit, Vindob. primus: nihil non ex eo excogitavit. Ex quibus unam vel alteram lectionem servandam puto. Nullam enim video rationem, cur „ex eo" deleatur.

C. 20. *Quamvis continuis XXX hominum milibus sine intermissione operantibus.*

Abundare vocem „continuis" et offendere jam multi viri docti observarunt. Oudendorpius ideo proposuit „continuo", quam vocem ita fere explicat: semper triginta milia hominum fuisse, nunquam pauciores, eosque sine intermissione operatos esse. In qua lectione vocem „continuo" aeque supervacuam esse credo. Si enim triginta milia hominum sine intermissione laboraverunt unusquisque intelliget semper

illum numerum operarum adfuisse. Quid voce „continuo" addatur non video.

In eundem errorem incidisse mihi videtur Burmannus cum proponeret: post undecim annos continuos, quamvis XXX hominum milibus etc. Si enim sine intermissione per undecim annos operati sunt, non potest dubitari quin ille labor per annos continuos factus sit. Solum quod adhiberi possit remedium est ut verbum „continuis", quod omnino abundet et nusquam sensum idoneum praebeat, tollatur. Quam facile glossema in textum potuerit irrepere nemo est qui non videat.

C. 21. *Immixtis interdum frigidis et arcessitis jocis; qualis est ut cum ....*

Ita scriptum est in plerisque codicibus. In Perizoniano tamen, Harlemensi et Cortiano deest „ut", qua vocula equidem libenter caream. Ad exemplum afferendum Suetonius scribere potuit: ut cum etc., vel: qualis est cum etc. Unum vel alterum sufficit, ambo nocent. Itaque, ne bis inepte idem dicatur, legendum censeo: qualis est cum ....

Ad alterum exemplum narrandum pergit: Illud plane quantumvis salubriter et in tempore: cum etc.....

Plura in his verbis me offendunt mihique dubitationem injiciunt.

Imprimis, cum exspectarem alterum jocum frigidum, subjuncto „plane quantumvis" jocus hic contra salsus et aptus dici videtur.

Deinde vox „plane" molesta est; nihil enim significare potest nisi „aperte".

„Quantumvis" autem nulla voce reddere possumus nisi „valde, quam maxime". Qui sensus, etsi et aliis locis requiritur cfr. Cal. 53: quantumvis facundus et promptus, tamen hic minus idoneus videtur. Verba explicanda enim hunc sensum haberent: Illud sine dubio valde salubriter et in tempore. Haec saltem est sola significatio, quae ex verbis traditis extorqueri possit.

At non exspectatur exemplum jocorum salubrium; omnia enim quae antecedunt et sequuntur tendunt ad frigidos jocos afferendos. Ipsum autem exemplum quod affertur non adeo laude mihi dignus videtur. Valde salsus et aptus certe non est.

Ideo pro „plane" commendatum est a Burmanno et aliis: frigidum, vel alia vox synonyma. Non tamen sic recte legas; vox „frigida" enim vocibus „salubriter et in tempore" omnino tollitur; non ergo ambo de eadem re praedicari possunt.

Propius a verbo „plane" recedit et sensui accommodatius est „perleve": Illud perleve, quantumvis salubriter et in tempore. Advertendum tamen est „quantumvis", si ita legeris, accipiendum esse pro „quamvis". Cfr. i. a. Hor. Ep. 2 : 2 : 39 „Ille catus, quantumvis rusticus etc. Vel in voce „plane" aliud verbum latet, quod quale sit non pro certo statuere possumus.

> *C.* 22. .... *utque dira ave in Capitolio visa obsecratio haberetur eamque ipse jure maximi pontificis pro Rostris populo praeiret summotaque operarum servorumque turba.*

In hac sententia ejiciendum censeo „que" post „summota";

particula enim illa hoc loco omnino otiosa videtur. De verbis autem quae proxime antecedunt inter libros mssos non convenit. Codex enim Memmianus et nonnulli alii habent: pro rostris populo, alius quidam tradidit: commonente pro Rostris populo, plerique: commonito pro Rostris populo.

Rothius autem fretus codice Memmiano verbum commonente" vel „commonito" ut otiosum delevit. Mihi vero vox „commonito" nequaquam supervacua visa est. Solebat enim Romae populus, antequam res graviores sive ad deos sive ad rempublicam pertinentes agi coeptae essent, de rerum tenore et gravitate commoneri. Videtur autem res de qua agitur, procuratio prodigii terrae motus, a Claudio pro satis gravi habita esse; summovebantur enim peregrini et profani.

Etiam valde verisimile est populum ignarum, antequam imperator obsecrationem praeiret, sive edicto sive contione de re agenda esse admonitum. Quas ob rationes verbum „commonito", quod plerique libri nobis servarunt, ut valde sententiae aptum retinendum credo et legendum: eamque ipse jure Pontificis Maximi commonito pro Rostris populo praeiret.

C. 22. *Non principem se sed ministrum egit.*

Latine dicunt: agere principem, agere ministrum. Cfr. Tib. c. 12. „Enimvero tunc non privatum modo sed etiam obnoxium et trepidum egit," ibid. c. 26 „civilem admodum inter initia ac paulo minus quam privatum egit" Tib. c. 6. „Neque ex eo destitit participem atque etiam tutorem imperii agere."

Aut Latine dicitur: se agere pro principe etc. ut in vita Claudii c. 25 „Libertinos, qui se pro equitibus Romanis agerent."

Id jam multa saecula abhinc a Graevio et aliis doctis viris observatum et adnotatum erat. Lexica quoque ad eam lectionem defendendam copiam argumentorum ministrant.

Locutio haec vel translatio est desumpta ex arte scenica; ut actor principem, servum agere dicitur, sic Imperator Claudius dicitur non principem sed ministrum egisse.

Collatis igitur aliis Tranquilli locis et origine locutionis perspecta non dubito quin deleto „se" legendum sit: non principem sed ministrum egit. Fortasse syllaba „se" per dittographiam voculae „sed" est orta.

C. 30. *Auctoritas dignitasque formae non defuit vel stanti vel sedenti ac praecipue quiescenti.*

Ut hoc loco a Rothio asterisco signato, quam proxime mssos sequentes, lectionem quae maxime apta est inveniamus utile duxi variis lectionibus inter se collatis sententiam ferre:

non defuit vel stanti vel sedenti. Par. 6116, Med. 1 et 2.
non defuit stanti vel sedenti. Vindob. 2. Copes, Cartian, etc.
non defuit et veteri vel stanti vel sedenti. Vindob. I, Basil.
non defuit ceterum stanti vel sedenti. Exc. Cuj.
non defuit et veterum vel stanti vel sedenti. Memm, Med. 3.

Quibus lectionibus inter se collatis videamus quid sententia requirat.

Primo aegre desideramus pronomen aliquod quo Claudii

persona designetur. Deinde requiritur aliquod adverbium, quo exprimatur non semper sed quando stabat vel sedebat Claudio auctoritatem et dignitatem formae fuisse. Sequitur enim: ceterum et ingredientem destituebant poplites minus firmi etc. Utrumque autem attigisse mihi videtur Oudendorpius, qui ex verbis „et veterum" — et veteri — legendum proposuit „ei verum". Itaque tota sententia sic enuntietur: Auctoritas dignitasque formae non defuit ei verum stanti vel sedenti etc.

C. 42. Quarum causa veteri Alexandriae Musio additum ex ipsius nomine.

Post „Musio" excidisse verbum, quo recens exstructum Museum indicetur, plerique crediderunt. Casaubonus vocem „alterum" interposuit, Oudendorpius „Musium" repetivit. Cur non legas „novum", quae vox apte τῷ „veteri" opponatur?

Nero C. 2. Atavus ejus Cn. Domitius in tribunatu pontificibus offensior, quod alium quam se in patris sui locum cooptassent, jus sacerdotum subrogandorum a collegiis ad populum transtulit, at in consulatu Allobrogibus Arvernisque superatis, elephanto per provinciam vectus est etc.

Facta quae hoc loco enumerantur non sunt unius sed duorum e gente Domitia. Alter, Domitius pater, a° 122 a. Chr. vicit Allobrogas, alter, Domitius filius, a° 104 legem Domitiam de sacerdotibus tulit. Atque „in hunc dixit Lici-

nius Crassus orator". Ille est tritavus Neronis, hic atavus.

Suetonium adeo fastorum imperitum fuisse ut duos viros maxime memoratu dignos confuderit quis credat?

Quis enim historiarum scriptor Romanus ignorabat lex anni 104, quam nunc etiam pueri cum auctore memoria tenent, a quo esset lata. Puta scriptorem nostratem Frisones, patrem et filium, non discernere; nimis ridiculum est quam ut factum esse credas. Oudendorpius ideo verbis transpositis hanc lectionem commendavit: Atavus ejus, Cn. Domitius, in consulatu Allobrogibus Arvernisque superatis, elephanto per provinciam vectus est, turba militum quasi inter sollemnia triumphi prosequente. Hujus filius in tribunatu pontificibus offensior, quod alium quam se in patris sui locum cooptassent, jus sacerdotum subrogandorum a collegiis ad populum transtulit. In hunc dixit etc.....

Addit tamen Oudendorpius: „Verum haeret tamen scrupulus; quod tunc Arvernorum victor non atavus Neronis, sed tritavus, uti erat, vocari debuisse videtur: nisi atavum pro tritavo posuerit, ut „proavus" pro „atavo" vel uno ex majoribus, et contra „atavus" pro „proavo" ac similes cognationum adpellationes, laxius sumuntur.

Verba haec „atavus, proavus" interdum laxiore sensu usurpari nemo negaverit. Non tamen nostro loco licebit „atavus" pro „tritavus" ponere; sic enim qui legeret in errorem induceretur alterum ex Domitiis illis fuisse atavum, alterum — filium — fuisse avum Neronis. Quidni omne dubium removeas legendo: Tritavus ejus, cetera ut apud Oudendorpium.

Fortasse tamen locus hic est unus ex illis, qui nonnulla

verba cum perierint adeo mutilati sunt ut, nisi meliores libri lucem afferant, in perpetuum caligine obvoluti mansuri sint.

C. 5. Sed et in viae Appiae vico repente puerum citatis jumentis haud ignarus obtrivit.

Legens haec haesi in verbo „repente", quod explicare non poteram statimque mihi, quod credo unicuique, in mentem venit „repentem". Cum deinde veteres editiones conferrem, jam antea multos in eandem conjecturam incidisse vidi. Nullus ergo dubitabam quin esset legendum „repentem".

Fuerunt tamen qui vocem „repente" acute et ingeniose defenderint perhibentes „repente" esse referendum ad „citatis" et explicandum „repente citatis jumentis". Disjunctio adverbii „repente" et participii „citatis" sane huic explicationi non obstat; at aliud quid idque multo gravius ne illam interpretationem admittamus prohibet. Domitius igitur repente citatis jumentis puerum in via obtrivit idque non ignarus. Ultima verba, si legeris „repente" plane supervacua sunt. Ex eo enim quod Domitius repente jumenta citavit apparet non inopinato sed consulto triste factum accidisse.

Quare veterem emendationem contra recentiores tuendam esse censeo.

C. 5. Notatus ob haec et sororis joco, querentibus dominis factionum repraesentanda praemia in posterum sanxit.

Multa hic dubia surgunt. Quomodo sororis jocus notare

Domitium potuerit? Cur nomen sororis non addatur, cum infra soror altera Lepida nomine indicetur?

Ridiculum etiam videtur Domitium prius aurigarios defraudasse, dein sanxisse repraesentanda praemia in posterum. Quae incommoda omnino tolli mihi videntur si legeris quod in codice Ursiniano habetur: notatus ob haec et Caesaris joco, qui querentibus dominis factionum repraesentanda etc. Imperator ergo facetiis Domitium petivit ejusque avaritiam notavit et sanxit etc.....

Quod autem objicitur nomen Caesaris hoc loco nimis vulgare esse pro „Tiberius", quo principe Domitius praetor fuit refellitur eo quod nomen Caesaris hic intelligitur pro voce Imperatoris vel principis, qui sensus apud Latinos est valde usitatus. Censeo igitur lectionem codicis Ursiniani esse admittendam.

C. 10. *Atque ut certiorem adhuc indolem ostenderet....*

Ex variis, quas codices praebent, lectionibus, cum plerique habeant „certionem", unus „mitiorem", alter „interiorem", ultima ab editoribus cunctis rejicitur neque eam vocem in hunc contextum quadrare perspicuum est.

„Certiorem" ab editoribus vulgo et etiam a Rothio recipitur. Equidem ingenue fateor me huic verbo sensum aptum extorquere non potuisse. Postquam Nero pietatis insignia documenta dedit erga patrem et matrem, etiam liberalem, clementem et comem se praestitit. Quare autem? Ut certio-

rem indolem ostenderet cum professus esset se imperaturum ex Augusti praescripto.

Certa indoles autem significare videtur indolem firmam, cui fidere possis, cfr. v. g. certus homo, certus lapis etc. Non vero firmitas Neronis iis quae sequuntur dictis et factis ostenditur; varia enim afferuntur virtutum documenta quae cuncta Augusti exemplar exprimunt.

Aliter igitur verbum „certiorem" explicare in promptu est. Quare Nero initio regni illas prae se tulit virtutes? Ut nempe Augusti legem sibi statutam sequeretur, Augusti exemplar exprimeret, sibi constaret in exsequendis Augusti praescriptis.

Sed non credo „certam indolem" pro indole quae sibi constat, quae exemplar quoddam fideliter exprimit, usquam apud Latinum scriptorem cujuslibet aetatis occurrere. Praeterea non credo locutionem „certa indoles" quocunque sensu alibi occurrere.

Quare praeferendum mihi videtur „mitiorem". Nero natura erat saevus; interim, donec potestatem suam firmasset, mitiorem indolem ostendit.

C. 10. *Omnis ordines subinde ac memoriter salutavit ....*

Ita Rothius codices secutus edidit, neque in praefatione de his verbis quidquam adnotavit. At, quid quaeso significant? Nullus sensus credo iis attribui potest nisi hic: Nero nterdum omnes ordines — senatum, equites et plebem —

salutavit idque nomine eos vocans, sive tres ordines, sive singulos ordinis cujusque viros nomine appellans.

Utrumque autem difficile est explicatu. Tres ordines memoriter salutare non ita magnum erat ut scriptis mandandum esset, singulos viros nomine appellare majus quam quod credi possit. Mendum latere manifestum est.

Cum vero, quae hoc capite de Nerone narrantur, fiant ad imitandum Augustum, quod initio hujus capitis est praefatus scriptor, opportunum erit conferre quae in vita Augusti c. 53 traduntur: „Die senatus nusquam patres nisi in curia salutavit et quidem sedentis, ac nominatim singulos nullo submonente." Deesse nostro loco aliquam vocem qua senatores designentur quis neget? Excidisse aliquid videtur, ac donec melior fortasse codex reperiatur, qui verbum omissum expleat, scribendum censeo quod olim Lipsius est suspicatus: Omnis senatores ordine subinde ac memoriter salutavit.

C. 12. *Exhibuit autem ad ferrum etiam quadringentos senatores sexcentosque equites Romanos, et quosdam fortunae atque existimationis integrae.*

Quid ultima verba significant? Manebantne quidam fortunae atque existimationis integrae, dum gladiatoriam operam praestabant, ceteri vero ex quadringentis sexcentisque illis fortunam et existimationem amiserant? Voce „quosdam" certe intelliguntur nonnulli ex ordine senatorio et equestri. Statim enim subjungitur: ex iisdem ordinibus etc.

Ergo plerique ordinis senatorii et equestris, cum in am-

phitheatrum prodirent, fortunam et existimationem perdiderunt, quidam easdem integras servarunt. At incredibile est hoc. Quis enim credat fere quadringentos senatores et sexcentos equites simul fortuna et existimatione esse spoliatos? Dimidius fere senatus uno ictu percussus jacuisset.

Praeterea, etiamsi concedamus hanc fuisse mentem Suetonii ceteros, paucis illis exceptis, dignitate esse deminutos, — quae re vera sola est significatio, quam verbis traditis attribuere licet — hoc saltem paulo lucidius enuntiari oportebat. Ut verba nunc se habent manifesto aliquid in anteriore parte: exhibuit autem u. a. et quosdam, desideratur.

Quibus de causis hanc emendationem propono: eosque fortuna atque existimatione integra. Equites et senatores jussit gladiatoriam operam praestare, sed ut nullam dignitatem amitterent. Etenim non licebat iis in amphitheatro pugnare, sed Nero id permisit salva dignitate.

Qua emendatione admissa judicandum adhuc restat de vetere conjectura „quadraginta et sexaginta" pro quadringentis et sexcentis. Antiqui commentatores, etsi verbis „et quosdam etc." non offendebantur, tamen numeralia quadringentos et sexcentos mutanda censuerunt in quadraginta et sexaginta. Non enim verisimile putabant tot simul senatores et equites pugnasse. Mea quidem sententia in eam partem valde inclinat, praesertim quod codicum in tradendis numeralibus infirma sit auctoritas. Tota ergo sententia ita legatur: exhibuit autem ad ferrum etiam quadraginta senatores et sexaginta equites eosque fortuna et existimatione integra.

C. 14. *Ob quae imperator consalutatus, laurea in Capitolium lata, Janum geminum clausit, tam nullo quam residuo bello.*

Ea verba ita interpretatus est Casaubonus. Punctum post „lata" posuit et quae sequebantur explicavit: plus semel Nero Janum geminum clausit, ét cum nullum bellum esset, ét cum residuum aliquod esset bellum. Legenti autem totum caput tertium decimum, praecipue quae proxime antecedunt, manifestum erit nihil aliud intelligi quam Neronem ob Tiridatis in urbem adventum geminum Martem clausisse . . . velutsi nullum bellum esset residuum.

Inter varias quae a viris doctis commendatae sunt emendationes maxime mihi probatur, quam Lipsius simul, Faërnus ac Torrentius sibi vindicant, „geminum Martem clausit tamquam nullo residuo bello. Transpositio syllabarum, quae saepius apud Suetonium corruptelae causa exstitit, hic quoque errorem peperit.

C. 14. *Consulatus quatuor gessit: primum bimenstrem, secundum et novissimum semenstres, tertium quadrimenstrem; medios duos continuavit, reliquos inter annua spatia variavit.*

Quid significet „reliquos inter annua spatia variavit" mihi non liquet. Quis tamen sensus requiratur ex fastis consularibus et ceteris fontibus historiae ostenditur. Nero consul

fuit a⁰ 55, 57, 58 et 60. Duos igitur medios consulatus deinceps gesset, primum et quartum anni spatio interjecto. Valde autem miror interpretatores hunc locum velut omnino facilem et integrum sine adnotatione reliquisse. Verba „inter annua spatia" certe interpretationem omnem effugiunt. Pro „inter annua spatia" ergo legendum censeo „interjecto annuo spatio"; „variavit", si genuinum est, explicandum est: vario tempore gessit — i. e. non continue — Quamquam vix „variare" illo sensu usurpari potest. Inter alia conferendum est Liv. L. 27 C. 27 „quae de Marcelli morte auctores variant" — i. e. varie narrant. Sic variare consulatus fortasse significat vario tempore gerere. Dubius tamen haereo.

C. 20. *Insignes pinguissima coma et excellentissimo cultu pueris ac sine anulo laeviis, quorum duces quadringena milia sestertia merebant.*

Ita Rothius e codice Memmiano edidit, desperans profecto de remedio. Interpretatores autem omnes consentiunt, id quod legenti unicuique patet, verba „pueris ac sine anulo laeviis" omni sensu carere.

Imprimis puerorum mentio facta minus opportuna videtur; requirebantur enim adulescentuli et juvenes robusti, qui Neroni cantanti plauderent; pueri quid auxilii ferre potuerint non perspicitur.

Praeterea verba quae sequuntur post „insignes pinguissima coma et excellentissimo cultu" videntur operarum theatralium habitum et cultum describere.

Omnes etiam critici in emendando hoc egerunt ut duo illa incommoda tollerent.

Graevius v. c. vocem „pueris" expungendam censuit. Restat tamen „sine anulo laevis" — vel laeviis vel velis —; neque mihi persuadere possum ablativum absolutum „laevis sine anulo" Latini sermonis esse.

Oudendorpius i. a. proposuit: puris et sine anulo laevis. In qua lectione „puris laevis" est intellegendum: laevis sine ornamento vel sine anulo aureo, et conferendum cum „pura hasta", quae est hasta sine cuspide ferrea. Ne dicam vocem „puris" sic acceptam omnino supervacuam esse, quia verbis „sine anulo" idem sensus exprimitur, insolita nimis mihi conjunctio verborum „puris... laevis" illo sensu videtur.

Altera lectio ab eodem commendata est: „puris laenis ac sine anulo", cui equidem libenter acquiescam. Vox enim laenae purae multo magis hoc loco requiritur quam vela vel laevae vel quidlibet. Equites et senatores illi igitur non gerebant anulum aureum et induti erant laena pura, quae sc. carebat insigni dignitatis. Ut toga dicitur pura, quae non est praetexta, sic etiam laenae si ornamentis carent.

Infeliciter autem conjecisse videtur mihi Rothius, qui ab Oudendorpio parum recedens proposuit: purpureis ac sine anulo laenis. Si enim legas „laenis", voces „ac sine anulo" non inter „purpureis" et „laenis" sunt ponendae, quia nequaquam ad laenas referri possunt. Deinde non verisimile esse credo purpureas fuisse laenas, quoniam senatores et equites anulum aureum non gerebant.

Ideo conjecturam Oudendorpii, quae levi verborum mutatione et transpositione aptissimum sensum praebet, valde

laudandam censeo. Neque si in codice aliquo sic scriptum esset, aliis quomodocunque corruptis lectionibus freti ad conjecturas confugeremus, sed sine ullo dubio legeremus: excellentissimo cultu, puris laenis ac sine anulo.

C. 21. *Dubitavit etiam an privatis spectaculis operam inter scenicos daret, quodam praetorum sestertum decies offerente.*

Haec est lectio codicis Salmasiani, quae eadem apud alios nonnullos, inter quos sunt Copesianus et Vossianus, reperitur, nisi quod pro „an" in aliis praeter Salmasianum legitur „in". Quae vero in ceteris codicibus sunt exarata cum illa lectione manifeste pugnant. Vindob. primus et Cortianus tradunt: nec dubitavit etiam privatis spectaculis operam inter scenicos dare, ceteri: non dubitavit etiam privatis spectaculis operam inter scenicos dare. Codice Salmasiano auctore Nero reapse non prodiit privatis spectaculis, alii codices aperte testantur eum sine cunctatione privatis spectaculis operam dedisse. Utrum est verum? Conferamus imprimis Dionem Cassium, qui ut in aliis partibus Tranquillum e vestigio sequitur sic in narrandis Neronis in theatro victoriis parum vel nihil ab eo discrepat. L. 63 c. 21 haec tradit: *Λάρκιος δέ τις Λυδὸς προσῆλθεν αὐτῷ πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας* — decies sestertium — *προσφέρων ἵνα κιθαρῳδήσῃ και ὃς τὸ μὲν ἀργύριον οὐκ ἔλαβεν, ἀπαξιώσας μισθοῦ τι ποιῆσαι (καὶ διὰ τοῦτο Τιγελλῖνος αὐτὸ ἐσέπραξεν, ἵνα μὴ αὐτὸν ἀποκτείνῃ) ἐς μέντοι τὸ θέατρον καὶ ὣς ἐσελθὼν καὶ ἐκιθαρῴδησεν, ἐπεὶ τοῖς γε ἵπποις οὐκ ἔστιν ὅτε οὐχ' ἡμιλλᾶτο.*

Ob quam auctoritatem e nostratibus Oudendorpius et Burmannus jam ediderant: Non dubitavit ... dare, quam lectionem miror cur Rothius rejecerit. Cum enim codices non inter se consentiant, Dio Cassius autem manifesto a Salmasiano discrepet, temere fecisse videtur qui Dionis auctoritate spreta codici Salmasiano praecipue fidem habeat.

Minor est discrepantia quod codices partim: „non dubitavit etiam", partim „nec dubitavit etiam" habeant. Utrumque enim promiscue apud scriptores Latinos reperitur.

C. 25. *ingestaeque aves ac lemnisci et bellaria.*

Avium mentio hoc loco inepta est. Quid? Erantne illae aves quae spargebantur vivae an mortuae?

Interpretatores ad unum omnes vocem illam rejiciunt, non tamen quid legendum sit pro certo statuunt. Flores vel tale quid meliorem profecto sensum praebet. Nemo tamen explicare potuit quomodo „flores" in „aves" corruptum sit. Praeterea obstat huic coniecturae *ingestae* in feminino.

C. 25. *Sacras coronas in cubiculis circum lectos posuit* . . .

Haec verba jure suspicionem movent. Quid? Nero coronas in cubiculo posuit? Timebatne ne conspicerentur? Vel si, quod nonnulli contendunt, earum aspectu oblectari quotidie cupiebat finge tibi animo quale hoc spectaculum fuerit, innumeras illas coronas — Dio L. 63 c. 21 eas mille octingentas octo fuisse narrat — in cubiculis coacervatas esse; num stultius quid cogitari potest?

Idem obstat ne cubiculum intelligas illud quod alibi suggestus vel podium appellatur, locum sc. editiorem ex quo ludos spectare Caesares solebant — cfr. hoc libro c. 12 —. Ad hunc autem locum explicandum vel sollicitandum imprimis habenda est ratio Dionis, qui L. 63 c. 21, postquam peregrinationem Neronis in Graecia, reditum et triumphum paene iisdem quibus Suetonius verbis descripsit, de coronis haec addit, quae palam cum Tranquilli narratione pugnant: *καὶ τοὺς στεφάνους, τούτους τε καὶ τοὺς ἄλλους πάντας ὅσους ἅρμασι νικήσας εἰλήφει, ἐς τὸν ἱππόδρομον ἐσήνεγκε καὶ τῷ ὀβελίσκῳ τῷ Αἰγυπτίῳ περιέθηκεν.*

Equidem Dionis descriptionem veram puto; Neronem coronas circum obeliscum Aegypticum posuisse, qui locus ad recipiendas et ostentandas coronas certe cubiculo multo aptior est. Quam in sententiam sponte se commendantem plerique etiam interpretatores abierunt et ad eam exprimendam varia adhibuerunt tentamina. Inter quae imprimis laudanda mihi videtur conjectura Is. Vossii legentis: in obeliscis circi conlectas posuit; etenim haec lectio parum a verbis traditis recedit et simul cum Dionis descriptione convenit. Quia tamen tempore Neronis unus tantum obeliscus, qui dicitur Aegyptius, in circo stabat, singulare plurali praeferendum censeo et legendum: Sacras coronas in obelisco circi conlectas posuit.

C. 26. *Quintana domi constituta, ubi partae et ad licitationem dividendae praedae pretium absumeretur.*

Quo magis haec verba mente volvo eo minus ea recta

esse mihi persuadere possum. Agitur de Neronis nocturnis rapinis. Vesperi cum aliis juvenibus per vias urbis errabundus velut latro obviam venientes verberabat, tabernas etiam expilabat; domi autem forum aliquod habebatur, ubi quid putas factum esse? Res raptas esse venditas? Divisas inter socios expeditionis? Non ita; ubi pretium rerum absumeretur, i. e. ubi epulando et potando fructus expeditionis consumerentur.

Nullam equidem aliam significationem excogitare potui. Hocne in foro fieri quis crediderit? In foro emunt et vendunt, non vero epulando pretium acceptum absumunt. Adde quod codices vacillant.

Etenim pro „absumeretur" legitur etiam „assumeretur". Burmannus hunc locum doctioribus dicit se excutiendum relinquere, Oudendorpius lectori arbitrium permittet. Videor mihi lectionem „assumeretur" commode posse explicare. Domi habebatur forum, ubi partae praedae, quae per auctionem inter grassatores erat dividenda, pretium acciperent, ubi singuli socii suam pretii partem acciperent. Pretium autem ex eo fiebat, quod socii inter se licendo vendebant; singulae res summis pretiis assignabantur; dein totius pretii quisque suam partem assumebat.

C. 27. Indicebat et familiaribus caenas, quarum uni mitellita quadragies sestertio constitit, alteri pluris aliquanto rosaria.

Ita codices tradiderunt, nisi quod pro „mitellita" apud nonnullos legitur „metallica" vel „metallita, mitelita" etc.,

pro „rosaria" etiam legitur rosoria vel rasaria, ante „rosaria" iu nonnullis libris antecedit absyrtio vel absertio.

Mihi in hoc loco interpretando merae tenebrae consurgunt. Vox „mitellita" alibi non occurrit, rosarium ubicunque significat locum vel hortulum, ubi rosae coluntur.

Variae quas enumeravi lectiones non minus obscuritatis habent. Qui vero voci „mitellita" sensum huic loco plus minusve aptum fingere conati sunt videntur mihi oleum et operam perdidisse. Alii intelligunt mitellita esse coronas vel ornamenta quaedam, alii mitellita pro adjectivo sumentes intelligunt „mitellita coena", quod explicant: coena in qua munuscula in parvae mitrae figuram formata dividebantur. Merae sunt suspiciones, quae ut non absurdae sunt sic ut probentur argumentis indigent. Mitellita autem esse adjectivum eo minus credo quod „rosaria" tunc etiam pro adjectivo habendum esset. Quid vero est rosaria coena?

Quamquam igitur praestat fortasse totum locum, cum certum remedium indicari non possit, intactum relinquere, non tamen reticeam quid mihi legenti in mentem venerit. Quod si non omni ex parte probetur aliis fortasse ansam dederit verum inveniendi.

Jam a multis indicata est vox „mellita" pro „metellita", cujus unicuique credo legenti in mentem venire. Mellita sunt crustula vel bellaria melle condita vel pista.

Pro „rosaria" legerim „rosaceum", quae vox i. a. Plin. H. N. L. 22, C. 24 et L. 32, C. 7 pro oleo rosaceo usurpatur. Quod solum huic conjecturae obstare videtur — quod tamen etiam lectioni vulgatae aliisque obstat — est summae quadragies sestertii magnitudo. Quadringenta millia flore-

norum solis bellariis impensa esse quis verisimile putet? At de his disputent alii. Interim proponere liceat: Indicebat et familiaribus coenas, quorum uni mellita quadragies sestertio constitere, alteri pluris aliquanto rosaceum.

C. 28. *Hunc Sporum, Augustarum ornamentis excultum lecticaque vectum, et circa conventus mercatusque Graeciae ac mox Romae circa Sigillaria comitatus est.*

Quid significat: circa conventus mercatusque? In vicinia seu prope fora et mercatus; Nero igitur Graeciam cum Sporo peragrans civitates non intravit. Apparet tamen Sporum Augustarum ornamentis cultum fuisse ut ab omnibus conspiceretur. Levissima mutatione opus est. Pro „circa" lege „circum", quod saepius apud Suetonium sensu qui hic requiritur occurrit. Ut unum locum afferamus v. Calig. c. 28: opinans sibi quoque exules suos mortem imprecari, misit circum insulas, qui universos contrucidarent. Patet non in vicinia insularum sed in ipsis insulis illas caedes factas esse. Voces „circa" et „circum" non raro commutantur, quod vulgo fieri potest ut non sensui verborum noceatur, cum ambo fere semper idem significent. At „circa insulas, circa urbes" nunquam pro „per omnes insulas, per omnes urbes" inveneris, quo sensu „circum" apud Suetonium saepe occurrit.

C. 32. *Ante omnia instituit, ut e libertorum defunctorum bonis pro semisse dextans ei cogeretur, qui*

sine probabili causa eo nomine essent, quo fuissent ullae familiae quas ipse contingeret.

Quid his verbis significetur breviter indicare liceat. Nero statuit pro semisse dextantem esse sibi cogendam e bonis libertorum, qui sine justa causa gessissent nomen familiae alicujus sibi cognatae. Nemo ut opinor verba illa aliter explicavit. Illud de hujus loci sensu, de lectione ipsa non ita consentiunt. Cum autem viri docti in textu hoc statuendo alii in alias partes discederent, plurimi tamen conjecturam Casauboni commutantis „essent" et „fuissent" pro certa habentes in textum receperunt. Etenim, cum Nero novum illud edictum daret, familiae illae de quibus sermo est erant adhuc, libertini qui earum nomina gesserant erant mortui.

Difficilior est disputatio de iis quae antecedunt: ei cogeretur qui.... Imprimis insolitum est „ei" pro „sibi"; licet enim regulae de reflexivo non ita severae sint ut nullam exceptionem admittant, tamen omnis exceptio aliquam suspicionem movet.

Dein relativum „qui" a demonstrativo suo „libertorum defunctorum" nimis est remotum. Codices autem, etsi mirus est eorum in hoc loco tradendo consensus, non tamen ad unum omnes eadem habent. In Corsendoncensi enim legitur: si qui sine probabili etc..., ex quo Lipsius omnia simul incommoda tollens proposuit: Ante omnia instituit, ut e libertorum defunctorum bonis pro semisse dextans cogeretur, si qui sine probabili causa eo nomine fuissent, quo essent ullae familiae quas ipse contingeret.

C. 32. *Revocavit et praemia coronarum, quae unquam sibi civitates in certaminibus detulissent.*

Interpretatores verba illa sic explicare solent: Nero, cum antea benignus coronas ob victorias reportatas recusasset, nunc praemia omnia a qualibet civitate unquam sibi decreta exegit. Huic autem explicationi plura obstant.

Primo significatio verbi revocandi, quae non est exigere quae ante sprevisti sed reposcere quae ante dedisti. Cfr. v. g. c. 44 „ut plerique omnem collationem palam recusarent, consensu flagitantes, a delatoribus potius revocanda praemia quaecunque cepissent." Secundo modus agendi Neronis, qui supra est descriptus, c. 22⁰ „Achaiam, ut diximus, petit, hinc maxime motus: instituerant civitates, apud quas musici agones edi solent, omnes citharoedorum coronas ad ipsum mittere. Eas adeo grate accipiebat, ut legatos, qui pertulissent, non modo primos admitteret, sed etiam familiaribus epulis interponeret etc." Cfr. etiam c. 24 „excussus curru ac rursus repositus cum perdurare non posset, destitit ante decursum; neque eo setius coronatus est etc." Cfr. ét alia capita ét Xiphilini L. 63 c. 21. Non igitur Nero coronas recusaverat sed quam plurimas usque ad mille octingentas et octo acceperat iisque gloriari solebat.

Jam in codice Ursiniano quem dicunt reperitur quae mihi vera lectio videtur esse: revocavit et praemia civitatum, quae unquam sibi coronas in certaminibus detulissent. Quomodo Nero judices sibi faventes remunerari sit solitus narratur v. g. c. 24: „Decedens deinde — Achaja — provinciam

universam libertate donavit; simulque judices civitate Romana et pecunia grandi". Nunc pecuniae egens eadem praemia reposcit. Etiam imperator Galba stulta Neronis decreta aboliturus praemia olim data revocavisse dicitur apud Xiphilinum L. 63 c. 14 ἐν δὲ τοῖς Ὀλυμπίοις ἅρμα ἐλάσας καὶ πεσὼν ἐξ αὐτοῦ καὶ ὀλίγου δεῖν συντριβεὶς ὅμως ἐστεφανώθη καὶ διὰ τοῦτο καὶ τοῖς ἑλλανοδίκαις τὰς πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας, ἃς ὕστερον Γάλβας παρ' αὐτῶν ἀπήτησεν, ἔδωκεν.

Orta est corruptela simplici transpositione verborum: coronas et civitatum, qua facta postea etiam casus mutari opus fuit.

C. 33. *Quod acceptum a quadam Locusta, venenariorum indice etc.*

Locustam fuisse venenariorum indicem nonnisi hoc modo explicari potest: fuisse aliquam causam veneficii, in qua Locusta ut debitas poenas effugeret alios veneficos sponte indicaverat. De tali autem causa et facto Locustae nihil innotuit. Tac. L. 13 c. 15 Ann. de ea ita loquitur: „attinebatur damnata veneficii nomine Locusta, multa scelerum fama", et L. 12 c. 66: „deligitur artifex talium vocabulo Locusta, nuper veneficii damnata et diu inter instrumenta regni habita." Dio L. 60 c. 84 dedit: „Λουκοῦστάν τινα φαρμακίδα περιβόητον μετεπέμψατο."

Ex quibus locis nihil computare licet nisi Locustam aliquoties fortasse ob veneficium in vincula coniectam fuisse, interim tamen a principibus occasione data esse adhibitam ut hunc vel illum adversarium clam tollerent.

Nusquam vero ne verbo quidem indicatur Locustam alios ejusdem criminis convinxisse.

Atque hoc loco praecipue mentio facta Locustae tamquam indicis est inepta, quod Locusta nequaquam ut venenariorum index sed ipsa ut venenaria inducitur; adhibetur enim ut molestum Neronis aemulum veneno interficiat.

Quare, si aliquid legeretur quod cum Dionis „φαρμακίδα περιβόητον", vel cum Taciti „multa scelerum fama" conveniret, statim codicibus fidem haberemus. Forte fortuna autem id factum est; in codice Cortiano enim et Vindob. secundo legitur: venenariorum inclyta, quod Taciti et Dionis verbis optime respondet. Quam lectionem etiam Ruhnkenius in scholiis suis commendavit his verbis: Viri docti bene legunt venenariorum inclyta. Inter multas sane et varias virorum doctorum conjecturas, quae a verbis traditis longissime distant, nulla est quae sensum tam obvium et perspicuum praebeat. Quare legendum censeo id quod jam Cl. Ernesti edidit: Quod acceptum a quadam Lucusta, venenariorum inclyta.

C. 35. .... *Anicetum paedagogum suum indicem subjecerit, qui fingeret, dolo stupratam a se fateretur.*

Ita Rothius edidit ex codice Memmiano. Vocem tamen molestam „fingeret", quae in codice Basiliano non reperitur et omnino abundat, non dubito delere.

Glossema fortasse in margine adscriptum postea in textum irrepsit. Si vero, quod nonnulli credunt, genuinum est verbum, ad alia sine ullo vestigio deperdita pertinet. In hoc

contextu omnem interpretationem effugit. Quare etiam a veteribus editoribus est ejecta.

C. 35. .... *Antoniam Claudi filiam .... quasi molitricem novarum rerum interemit. Similiter inter ceteros aut affinitate aliqua sibi aut propinquitate conjunctos.*

Verba „similiter inter ceteros" sensu carent. In iis tradendis multum libri mssi inter se discrepant; inter varias autem codicum lectiones et varias emendationes propositas maxime observatione dignum mihi videtur quod codex Friburgensis, habet: similiter interemit ceteros. Quae lectio, quamvis primo adspectu plane perspicua et facilis videatur, duobus tamen incommodis laborat. Molesta enim est repetitio verbi „interemit", quod paucis verbis ante praecedit, et verbum „similiter" non eum quo opus est sensum habet. Requiritur enim v. g. eodem crimine, eodem praetextu etc., quem sensum verbo „similiter" attribui posse vix credo. Perizonianus et Harlemensis habent: similiter item ceteros, in quibus aut item ant similiter abundat. Torrentius vocem molestam „inter" vel „item" rejiciens ita legit: „similiter ceteros" ac verbum interemendi vel perdendi vel simile quid ex verbo quod praecedit „interemit" supplevit. Aegre tamen verbum hoc desideratur.

Quod autem exspectatur est v. g. simili pernicie invasit ceteros, vel similiter accusando ceteros etc. Roganti quomodo ex iis quae supersunt lectionem non ita absurdam comparare possimus responderim legendo: insimulavit item cete-

ros.... Haec saltem sententia in contextum quadrat. Qui enim proxime enumerantur: Aulus Plautius, Rufius Crispinus et Tuscus omnes eodem quo Antonia crimine accusati et damnati sunt.

C. 45. *Nunc demum agona esse et traderet tandem....*

Cod. Memmianus habet „et raderet tandem", quem contra Rothium sequendum esse puto. Cirrus appositus est capiti ut illudatur Neroni, qui comam in gradus formatam habebat, vel ut Ruhnkenius ait, „cirrum Neronis statuae irrisor apposuit, ut ei exprobraret citharoedi et simulati Apollinis cultum". Nunc demum vere agon est, non cum citharoedis sed cum Vindice; deponat ergo Nero ineptias istas.

Quid „traderet" significet non video. Cui tandem tradere jubebatur cirrum illum? „Traheret", quod in nonnullis codicibus reperitur magis etiam interpretationem effugit. Solum „raderet" superest, quod sensu tondendi frequenter occurrit. Quare miratus sum quod Oudendorpius scripsit: non enim radi cirri, sed tonderi, trahi vel tradi possunt. Cfr. v. g. Mart. L. 6, Ep. 57: 4 et Suet. Cal. 5 „regulos quosdam barbam posuisse et uxorum capita rasisse ad indicium maximi luctus".

Cur igitur cirri non possint radi non video et legendum censeo: nunc demum agona esse et raderet tandem.

C. 48. *Dein, divolsa sentibus paenula, trajectos surculos rasit.*

Accedimus ad locum, de quo apud veteres editores multa

disputata reperio; quo modo explicandus sit dubitant, conjectandi arte nonnulli lucem afferre tantaverunt. Capite hoc describitur quomodo Nero in villam Phaonis pervenerit. Legenti mihi narrationem sponte sine ulla dubitatione haec nata est ipsius rei imago. Cum Nero paucique ejus comites prope villam venissent, a via publica recesserunt, deinde per harundineti semitam ad aversum villae parietem pervenerunt — nempe ad eum qui a via publica aversus erat; sic enim pro „adversum" esse legendum consentiunt vv. dd. —. In trajiciendis vepribus vestem sub pedibus stravit ne stimulis pedes lacerarentur. Effoditur deinde caverna, per quam Nero subter parietem clam quadrupes in cellam aliquam repsit. Antequam autem Nero in cavernam descendit „divolsa sentibus paenula trajectos surculos rasit". In his laborant interpretes. Explicant enim Neronem, postquam vepres evasit, rasisse surculos, i. e. juxta eos cucurrisse, sive ut perveniret in cavernam sive alia de causa prorsus ignota. „Trajectos surculos" alii aliter explicant. Vulgo tamen intelligunt de fruticeto aliquo, apud scriptorem nostrum non amplius indicato, quod occurrebat Neroni descendenti in cavernam, de fruticeto diverso a vepribus, qui ante nominati sunt.

„Divolsa paenula" intelligunt: quae sentibus erat perforata. Quomodo id sibi animo fingant quod Nero fecit, postquam vepres evasit, antequam in cavernam descendit, mihi perspicuum non est. Nonne multo lucidior narratio fit, si pauca quaedam vulgo neglecta observaveris? Nero straverat vestem. Straverat scilicet paenulam. Nunc eam a sentibus divellit et surculos, qui per eam erant trajecti, radit — eraf strijken —. Paenulam eum stravisse potius quam tunicam

vel aliud vestimentum quislibet sponte sibi animo finxerit.

Quod ad „divolsa sentibus paenula" pertinet conferre opportunum est e. c. Ovid. Metam L. 14 vs. 15 „et auro fulgentem ramum silva Junonis Avernae Monstravit, jussitque suo divellere trunco". Hor. Od. L. 1 36 vs. 19 „nec Damalis novo Divelletur adultero Lascivis hederis ambitiosior"; radere sensu quem indicavi reperitur e. c. Persius 2 vs. 106, Plin. H. N. L. 18 c. 16 etc.; „trajectus" passim sensu quem indicavi occurrit. Praeterea animadvertendum est codicem Vindobonensem primum, qui multis etiam aliis locis verum textum servavit, pro „surculos" tradere „stimulos". Aptius hoc quam „surculos"; vix enim credlbile est surculos vel ramiculos totos per paenulam penetrasse.

C. 48. .... Atque ita quadripes per angustias effossae cavernae receptus in proximam cellam, decubuit super lectum modica culcita, vetere pallio strato, instructum.

Non dubito quin etiam hic Vindob. pr. veram lectionem servaverit post „vetere" adjecta particula „que". Lectus erat instructus modica culcita et vetere pallio, quod erat stratum.

Si quid in illa lectione mutare libet, „que" aptius adjicitur post „strato": modica culcita, vetere pallio stratoque instructum. In culcita caput reclinabatur, in strato corpus jacebat, pallio tegebatur. Cum vero nullus codex annuat hanc Oudendorpii conjecturam tantum commemorare satis duxi.

THESES.

THESES.

I.

Tacitus Ann. Lib. I, c. 40. Diu cunctatus aspernantem uxorem, cum se divo Augusto ortam neque degenerem ad pericula testaretur, postremo uterum ejus et communem filium multo cum fletu complexus, ut abiret, perpulit.

Pro „cunctatus" lege: obtestatus.

II.

Tac. Ann. Lib. III, c. 15. Atque ipsa, donec mediae Pisoni spes, sociam se cujuscumque fortunae etc.

Pro „mediae Pisoni spes" lege: in venia Pisonis spes.

III.

Tac. Ann. L. XV, c. 58. Idem Subrio Flavo adsistenti *abnuentique*, an inter ipsam cognitionem destringeret gladium caedemque patraret.

Lege: adnuentique.

IV.

Horatius. Sat. L. II, 3 vs. 28.

Atqui
Emovit veterem *mire* novus, ut solet.

Lege: major.

V.

Hor. Sat. L. II, 3 vs. 274.

Quid? cum balba *feris* annoso verba palato.

Lege: feres.

VI.

Hor. Sat. Lib. II, 4 vs. 77.

Angustoque *vagos* pisces urguere catino.

Lege: graves.

VII.

Hor. Sat. Lib. II, 7 vs. 57.

Metuens induceris atque
Altercante libidinibus tremis ossa pavore.

Lege: Alternante.

VIII.

Ovidius Metamorph. Lib. I, vs. 2.

di, coeptis — nam vos mutastis *et illas* —
Adspirate meis.

Lege: di, coeptis — nam vos mutastis — et illis
Adspirate meis.

IX.

Ovid. Metam. Lib. XII, vs. 317.

In tanto fremitu cunctis sine fine jacebat
Sopitus *venis* et inexperrectus Aphidas.

Lege: membris.

X.

Martialis, Epigramm. L. III, 20, 10.

Hinc si recessit, porticum terit *templi.*

Lege: Magni.

XI.

Homerus Odyssea. L. XIV, vs. 31.

ἕζετο κερδοσύνῃ, σκῆπτρον δέ Fοι ἔκπεσε χειρός.

Lege: *εἴχετο ταρβοσύνῃ.*

XII.

Xenophon Hellenica L. II, c. 1, no. 12.

*παρεσκευάζοντο δὲ καὶ οἱ τῶν Ἀθηναίων στρατηγοὶ
πρὸς τὸ ναυτικὸν ἐν τῷ Σάμῳ.*

Lege: *τὸ ναυτικὸν*, deleto *πρός.*

XIII.

Xen. Hell. L. III, c. 2, n⁰. 28.

*περιεπλήσθη ἡ οἰκία ἔνθεν καὶ ἔνθεν, ὥσπερ ὑφ'
ἑσμοῦ μελιττῶν ὁ ἡγεμών.*

Lege: *περιεβλήθη.*

XIV.

Xen. Hell. L. IV, c. 7, nº. 5.

κ α ὶ ο ὕ τ ω τῇ ὑστεραίᾳ θυσάμενος τῷ Ποσειδῶνι ἡγεῖτο οὐ πόρρω εἰς τὴν χώραν.

Deleto *καὶ* lege: *οὕτω τῇ κ.τ.λ.*

XV.

Xen. Hell. L. VI, c. 1, nº. 13.

καὶ ἐὰν μέν σοι, ἔφη, διδῶσιν ὥστε σε πείθειν ἱκανὴν π έ μ π ε ι ν συμμαχίαν ὡς ἐμοὶ πολεμεῖν, ἄγε, ἔφη κ.τ.λ.

Lege: *πέμψειν.*

XVI.

Sophocles Philoctetes vs. 278.

ποῖ' ἐκδακρῦσαι, ποῖ' ἀποιμῶξαι κ α κ ά;

Lege: *μάτην.*

XVII.

Thucydides L. II, c. 40, nº. 2.

κ α ὶ ἑ τ έ ρ ο ι ς πρὸς ἔργα τετραμμένοις τὰ πολιτικὰ μὴ ἐνδεῶς γνῶναι.

Lege: *καὶ ἕτερα . . . .*

XVIII.

Thuc. L. II, c. 87.

....*εἴτις ἄρα δι᾽ αὐτὴν ὑμῶν φοβεῖται τὴν μέλλουσαν, οὐχὶ δικαίαν ἔχει τέκμαρσιν τὸ ἐκφοβῆσαι.*

Delendum censeo *τὸ ἐκφοβῆσαι.*

XIX.

Thuc. L. III, c. 40, n⁰. 3.

ἢ πρὸς τοὺς ὁ μ ο ί ο υ ς τε καὶ οὐδὲν ἧσσον πολεμίους ὑπολειπομένους.

Lege: *ὁμοίως.*

XX.

Thuc. L. III, c. 51, n⁰. 2.

τ ο ύ ς τ ε Πελοποννησίους, ὅπως μὴ ποιῶνται ἔκπλους αὐτόθεν κ.τ.λ.

Lege: *πρός τε Πελ....*

XXI.

Thuc. L. IV, c. 76, n⁰. 5.

ῥᾳδίως ἤλπιζον, εἰ καὶ μὴ παραυτίκα ν ε ω τ ε ρ ί ζ ο ι τι τῶν κατὰ τὰς πολιτείας.

Lege: *νεωτερίζοιτο.*

